
3 2044 107 254 732

MH
270.2
M47
a2



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/leonhferdinandme1721meis




Caffe
Birckart ſc:


Tabacum
Birckart ſc: Prag.


Thee


Cacao



LEONH. FERDINAND. MEISNERI,
Med. Doct. & Prof. Regii,

DE

CAFFE, CHOCOLATÆ, HERBÆ THEE ac NICOTIANÆ

NATURA, USU, ET ABUSU

ANACRISIS,

Medico-Hiſtorico-

Diætetica.

NORIMBERGÆ,
Sumpt. JOH. FRIDER. RUDIGERI,
ANNO MDCCXXI.

PROOEMIUM.

HAbet unaquæque tellus, quæ admirationem merentur, habet de quo glorietur. Nulla profecto adeò abjecta, adeò infelix Regio unquam fuit, quæ accuratiùs inquirenti, mirandum quidpiam offerre haud valuiſſet: ludit ubíque gentium Natura, & ad ſui contemplationem gratiſſimâ varietate omnes allicit. Providè omninò ſua diſtribuiſſe dona rerum omnium almam matrem Naturam cernimus; nec cuncta uni conceſſit plagæ; denegavit huic, quod alteri larga manu conceſſit: *non omnis fert omnia tellus* in aprico eſt. Abundè me herculè univerſæ creaturarum conſervationi providit Omnipotens Dextera ſummi naturæ Authoris, quando ea omnia ad

manus noſtras depoſuit, & obtutui noſtro objecit, quæ nobis aut in alimentum, aut in remedium cedere valēt, quæ aut conſervandæ, aut reſtaurandæ valetudini ſufficiunt: *in Ipſo* enim *vivimus, movemur, & ſumus. Act.* 17. Me judice nulla nobis magis adaptata videntur, quam ea, quæ domi germinando naſcuntur: Verùm curioſior, ac irrequietior mortalium Animus é longinquo nova allata ſemper appetens, patrium negligit ſolum, ut remotiora effodiat: Hinc accidit, ut hodiedum in penu Medica vix alia reperiantur, & in prætio habeantur pharmaca, quàm ea, quæ ab Oriente petuntur: quaſi veró magis fœcundus obſervaretur Sol, ubi oritur, quam ubi occidit: An novercantem accuſabimus Naturam ex eo, quod cuilibet animantium ibi, ubi natum eſt, de convenienti ſufficientíque providerit ad ſeſe conſervandnm, ſuſtentatione? abſit. Aſt ſordeſcunt domeſtica, dum peregrina laudantur: Ad rem noſtram adducere libet

libet *Cornelium Agrippam* ita argutè diſſerentem: *plurimum nimirum conducere ſaluti hominum, ac rei publicè, peregrinis omnibus, exoticisque pharmacis, quæ tanto prætereà pretio, á prædonibus, mercatoribus in rei publicæ detrimentum advectæ ſunt, omnino interdicere.* Effatum ſané in prudentia ac recta ratione fundatum; pharmaca enim, quæ noſtrum gignit ſolum naturæ noſtræ convenientiſſima eſſe, nemo ambigat, præterquam, quòd minori ſumptu non tantùm, verùm etiam recentiora magis ac ſelecta, omni loco, & tempore haberi poſſunt: exotica vice versâ, atque peregrina, ſophiſticationis, deſtructionis, cariei, ac vetuſtatis periculo expoſita, non niſi plerumque effœta, exceſſivo auri argentiquc diſpendiò comparanda veniunt. De his non inconcinnè, ſi lubet, canentem audiamus Poëtam:

Decipimur paſſim ſpoliis Orientis, onuſta
Nos ornat, quicquid credula navis habet.

 India

India mittit opes, incitamenta malorum,
Et Gula ſiniticis fraudibus una patet.
Dúmque per inſidias divendit Barbarus aurum,
Nos, nummos, vitas, & bona noſtra rapit.

Quibus metris clarè ſimul & ingenioſè demonſtrare voluit, cum novis mercibus unà novas & vix ante obſervatas ex *Aſia*, *Africa*, atque *America* in *Europam* transmitti ægritudines, in quibus utpote fundamenta, ac ſeminaria complurium calamitatum reperiuntur, etenim hæc cum partim, ùt rectè ait *Cornel. Celſ. lib.* 1. *de re Med. Cap.* 3. contra Europæorum conſuetudinem ſint, partim non amplius ùt medicamenta, ſed tanquam alimenta, ſine Diſcrimine complexionum, ætatum, aliarúmque circumſtantiarum nunc temporis ſumantur; iisdem etiam nocere potius, quam convenire judicantur. Inter ejusmodi non poſtrema cenſenda ſunt,

toti

toti penè jam orbi notiſſima *Caffé*, *Chocolata*, *Herba Thée*, atque *Nicotiana*, vulgo *Tabacum* nuncupata: iſtis non tantùm delectatur natio Indorum, utpote horum inventrix, ſed etiam nunc Hiſpanis, Italis, Belgis, Germanis, aliiſque compluribus Nationibus in delicijs ſunt; apud quos laudandus rectus uſus, deteſtandus abuſus, nam juxta Naſonem 1. *amor.*

Impia ſub dulci melle venena latent.

Idem ſentire videtur *Horatius* 1. *Epiſt.* 12. dum inquit: *ſperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.* De Natura igitur, origine, & viribus Caffé, Chocolatæ, Herbæ Thée ac Nicotianæ, eorúmque legitimo uſu, atque abuſu (quatenus ad ſanam aut ægram, ad longam, vel brevem vitam quid conferre valent) in ſequentibus pro virium modulo, ingenijque tenuitate eadem compendiosè ſtrictiori ſcrutinio ſubjicere conabor. Velit autem deficientibus meis conatibus clementer Divina

adſpirare ſapientia, ut Spiritu Domini adjutus, omnia ad Majorem Ejus Gloriam, proximi utilitatem, atque Rei publicæ Medicæ decus, ac honorem agam. Sit itaque.

DE POTU CAFFE ANACRISIS.

SECTIO I.

Nomen, naturam, locum, tempus Caffé à quo in uſu ſit, complectitur.

§. I,

AUthores, qui de *Caffé* ſermonem fecére, illud ad fabarum genus referunt ob affinitatem, quam cum illis habet: octoaginta circiter abhinc annis adeò paucis innotuerat, ut à pluribus *morum* nuncuparetur, prout in quodam folio *Lutetiæ* typis dato legere eſt, cùm tunc in noſtris regionibus ſorbitio hæc in uſum revocari inciperet. Imò & nunc etſi invaluerit, mirum quantum circa ejus nomen & qualitates Authores diſcrepant. Quidam enim antequam in pulverem redactum ſit, nominandum eſſe cenſent latinè *Bunchum*, gallicè *Bon*: alij in pulverem redacto alia & varia nomina ipſi imponunt, nempe *caffé*, *café*, *cophé*, *cavé*, *cavet*, *cahué*, *cave-*

caveah, *chaubé choana*, *chaona*, *aut cabueh.* Turcæ alijque Orientales pronunciant *Cahué*, originémque deducunt à *Cahuet*, quod eſt robur: ſic nuncupantes, quia ejus effectus inſignis eſt corroborare. Verùm nos in hac diſquiſitione *Caffé* voce apud Europæos magis notâ, interea utamur.

§. II.

Caffé eſt leguminis peregrini ſpecies, magnitudinis noſtrarum fabarum, à quibus non admodum abludit, rotundum ex una parte, ex altera planum cum fiſſura in medio, coloris inter candidum & flavum ſubobſcuri: involutum duplici cortice, interiori admodum tenui, & ejusdem coloris ac granum ipſum, exteriori verò ſubnigro & ſatis craſſo. Verum ad nos fertur plerumque decorticatum: Arbor cujus eſt fructus, ſimilis eſt Evonymo teſte *Proſpero Alpino* in tract. de plant. Ægypt. vel etiam noſtrati ceraſo, tum in folijs, & ramis, tum in magnitudine. Frutex enim eſt tenuibus ramis, exiguis folijs, æqualibus, craſſis & ſemper virideſcentibus citô tamen deciduis præditus, remanente fructu, donec perfectam maturitatem aſſequatur.

§. III. Ex omnibus terræ plagis ſola *Yemen* nunc dicta, olim *Arabia felix*, Caffé progignit, unde à quibusdam *fabæ Arabicæ* nomine non malè donatur. Naſcitur abſ-

que cultura in illius vaſtis campis meridiem verſùs. Hinc collectum *Moram Louheiam*, inque alios maris rubri portus vehitur: Mox cymbis *Geddam* defertur maritimam Arabiæ petreæ urbem ditionis *Cheriffi Mekæ*: illic navibus, triremibuſque imponitur, & ad maritimam itidem urbem *Sues*, duas & viginti leucas circiter *Cairo* diſtantem amandatur, quo ſingulis annis 25000. ſaccorum, quorum ſinguli 300. libras continent, camelis apportari ſolent. Præterea decem aut quindecim millia ejusdem ponderis mercatorum *Caravana* medina cum peregrinis Prophetæ devotis redux in Ægyptum & Syriam affert, Arabeſque ipſi non paucam etiam copiam ad celebres *Mekæ* nundinas deferunt.

§. IV. Non ita facilè, certòque aſſeri poteſt, quandonam Caffé Orientalibus fuerit detectum. Verùm non dubium eſt, quin uno loco citiùs, quàm altero innotuerit, eòque per multos annos antequam in vulgus abierit, nonnulli potiti videntur. Si verò hiſtorijs alijſque ſcriptis orientalibus fides adhibenda ſit, à duobus tantum circiter ſeculis hic potus eſſe incepit ita vulgaris ac hodie, quod tamen incertum adhuc manet. Quandoquidem *Ludovicus Baſſano*, *Antonius Menavinus*, & *Franciſcus Sanſovinus*, qui ſcripſerunt,

pri-

primus quidem Anno 1645. *ſecundus* 1548. alter verò 1563. ubi loquuntur de tribus Turcarum potionibus, eaſque deſcribunt, ne quidem unum verbum de Caffé pronunciant, quod ſi non eſt argumentum demonſtrativum, indicium tamen eſt ſuſpendendo judicio ſufficiens: imò plures affirmant, Turcis & eorum Vicinis potum illum non fuiſſe admiſſum, niſi poſtquam Sultanus *Helim* debellaſſet Ægyptum Annis ſcil. 1517. & 1518. ubi illius uſum á longo jam tempore inſtitutum deprehenderunt: hoc illi haud dubiè ab Arabibus, quibus Caffé à centum & plus Annis notum erat, acceperant, ſi fidem illis adhibemus, quæ de hoc referunt; Moderni quidam Autores, quorum libri eâ opinione ſunt referti, *Razim* & *Avicennam* de eo ſub nomine *Bunchi* diſſeruiſſe: verùm *Velſchius* in ſuo tractatu de vena medinenſi probat, *Bunchum* non eſſe Caffé Arabum, in ambigua voce errorem fuiſſe demonſtrans. *Proſper Alpinus*, qui circiter centum abhinc annis iter fecit in Ægyptum, & poſt ipſum *Veslingius*, qui ibi ſat diu verſatus eſt, prim ex Europæis de illo ſcripsêre, de quo noi certiores facit, ſeculum, cui Caffé detecti s tribuitur, fortè non ita longè petendum eſſe. Apud omnes autem in confeſſo eſt hodie in Oriente in communem uſum ceſ

ſiſſe

ſiſſe, & eo more, ut ſingulis manè, ubi ſurrexerunt, & ſuas fudêre preces, ſive domi, ſive foris, cujuſcunque ſtatûs, ſexûs, & omnis fermè ætatis, iteratum craterem, quem *fingeans* nominant, aſſumere ſoleant, ſtomacho non jejuno, ut pluribus in noſtris plagis mos eſt, ſed aſſumpto cibo. Magnates illorum ante potum iſtum acceptum, jentaculum ſumunt, quod prandij loco eſſe poſſet, & quocum ad ſecundam uſque poſt meridiem horam cibo abſtinent. Mercatores, mercenarij parum panis huic uſui deſtinati, quem alicubi dicunt *Futîer*, alibi *Quaqui*, edere ſolent. Verbo divites & pauperes ſingulis matutinis diebus antequam Caffé potent, cibi aliquid ſumunt, perſuaſi id ſtomacho jejuno ſumptum in bilem converti, ac quidquid in ſtomacho offendit, in bilem mutare, ipſum arrodere, & ad exinanitionem uſque debilitare, membra omnia gravedine afficere, appetitum tollere, anxietate, mœrore, & impatientiâ animum cumulare, totumque denique corpus dejicere. Hinc eſt, quod ad partes tabernarum Caffé innumeri reperiantur vendentes *Futier*, buccellatos, aliosque artoptitios panes, quos potaturi manducandos emunt, experientiâ edocti illud hâc cautione ſumptum, ſalubrius eſſe: quod locum dedit proverbio inter

ter eos uſitato : ſi ante Caffé ſumptionem nihil haberent manducandum , ſuæ togæ globulum deglutiendum, aut eo plané eſſe abſtinendum.

Mirabilem, atque curioſam hujus potûs detectionem pro complimento hujus ſectionis adjungam, quam depromſi ex Diſſertatione *Fauſti Naironis Maronitæ* linguarum chaldaicæ , & ſyriacæ in collegio Romano profeſſoris , quæ extat in Italórum eruditorum Ephemeride Anni 1671. *Cuſtos* inquit *Camelorum, aut caprarum, ut exiſtimant alij, quibusdam Monachis retulit, nonnunquam capras aut camelos ſuos noctes vigilando & ſaltando tranſigere, îd quod Abbas pabulo tribuendum ſtatim conjecit. Cujus, ut certior fieret, in lôca tunc temporis à pecude frequentata ſe contulit & animadvertit , multos ibidem certi cujusdam generis occuriſſe frutices, quorum fructus veriſimiliter comederat: nonnullus itaque eorum qualitates inveſtigandi cauſa collectos aquâ férvefecit, & liquore epotato, ſomnum averti deprehendit, quo motus, monachis ſuis , ne officij nocturni tempore dormirent potandum præbuit. Res ex voto ceſſit, & paulo poſt multas fructui illi ſalubres eſſe qualitates detectum fuit. Quapropter multis deſiderabilis evaſit, maximê*

xime ipſis mercatoribus , quippe , qui in grati animi fidem preces privatas & ſolemnes ſacrant Sciadli & Aydro , *quibus Monachis tali modo hujus fructûs inveſtigationis tribuitur honor.*

SECTIO II.

Delectum Caffé , modum torrefaciendi, eumque conſervandi , nec non quomodo ad potum farina Caffé ſit coquenda ? quâ quantitate , & quo pacto ſit ſumenda ? tractat.

§. I.

CUm *Caffé* ſit de leguminum genere hoc illi commune eſſe cum alijs leguminibus, quod quò minùs eſt exſuccum, eò melius ſit. Inſuper obſervandum , an ſordibus, quibus pondus illius augeretur, quibusque de ſua virtute amitteret, purgatum ſit. Optandum eſſet , ut vetus á recente probè diſtinguere poſſemus , certum enim eſt Caffé , quò vetuſtius eſt eò minus valere, quò plus enim ſiccatur , eò magis de ſucco & ſapore ſuo evaneſcit. Sed hæc captu noſtro majora ſunt. Nec video, quomodo quis in hoc fraudem vitare poſſit : ſunt qui ipſum leve , coloris flavi & obſcuri, ſubalbo gravique anteponendum eſſe cenſent ; nec id tamen periculo nos eximit.

Si

Si dixero Caffé, quale ab Oriente defertur, in ſe habere qualitates, quas illi tribuimus, & ipſum non habere, contradictorium videbitur: attamen hoc certo certius eſt; ſi enim ſumatur Caffé tale, quale ad nos adfertur, contundatur & ferveſiat, aliquotque de eo calices hauriantur, nullius erit effectûs: ſed ſi torreſiat, illique ut par eſt, coctionis gradus addantur, & ex farina cum aquâ fervefactâ crateres aliquot ſorbeantur, ipſi inerunt, quæ aliàs ei tribuuntur qualitates. Hoc probat virtutem Caffè, licet illi â natura inſitam, eam tamen velut extinctam eſſe, niſi ignis ope excitaretur: etenim non niſi torrefacto utimur, quia experientiâ compertum eſt, illius corpus ignis vi penetrari & phlegma, quo irretiebatur, ejus ſpiritus exhalari, ideoque illud aperitivum & ſtomachicum effici; cujus rei cauſa eſt Sal aliquod fixum, & humor quidam oleaginoſus ipſi proprius, ut inferius patebit; at non niſi longo uſu, torrefactionis gradum addiſcimus. Si nimium aut minùs, quàm par eſt, aduratur, inutile redditur, id quod invictè probat, ad torrefactionem convenientem & utilem peragendam, medium maximi eſſe momenti; idcirco modum ipſum convenienter torrefaciendi, & quibus cautionibus in farinam redactum conſervetur, ſequentibus breviter

ter declarabo. Accipiantur grana *Bun*: (voce illâ in præſentibus utor, ut ſententiæ eorum me accommodem, qui priusquam in pulverem redactum fuerit, Caffè vocandum eſſe negant) dummodo duarum aut trium librarum pro ſingula vice quantitatem non excedat: quâ minori enim quantitate ſumuntur grana, eò melius torrefiunt. Sartagini æneæ, aut ſi mavis pelvi fictili ſuperpoſita, igni carbonum probè ſine flammâ tamen accenſo, injiciantur. Attendendum autem eſt, ut ſtatim atque ipſa calefieri animadvertantur, cochleari ferreo vel ſpathula indefinenter agitentur, & ſic ſingula grana æqualiter ignis vim excipiant, donec ſemiuſta appareant, cavendo maximè, ne ulteriùs procedat uſtio, quod apparet, dum colore caſtaneo & ſubnigro grana tincta videmus, tuncque ab igne removeantur. Si debitè omnia peracta fuerint, jucundum veluti panis aduſti odorem, ſed cephalicum & ſtomachicum magis percipiemus; Grana dicto modo uſtulata contundenda, & in pulverem redigenda ſunt: non adeò minutè contuſa Orientalibus placent, Gallis verò ita tenuia, ut ſubtiliſſimum cribrum ſubire queant. Grana uſta & contuſa apprimè cuſtodienda ſunt, nè evanida fiat farina, huic enim magis eſt obnoxia, quàm vinum ipſum,

& ſi

& ſi ſemel vappida fiat, nullius amplius erit usûs; ejus qualitates enim non modo debilitantur, ſed penitùs pereunt. Curandum igitur, ut quantocyus in farinam redactum granum, corio adipe exterius uncto aut cerato includatur, ita, ne per corij poros, nec per ſacci ſuturas ullus aëri detur aditus. Subitò igitur ſtringendus ſaccus uſque ad Caffè ſuperficiem, nec niſi ad uſum aperiendus, tuncque cochleari utendum eſt, ut protinus & cum omni diligentia religetur: Ratio hujus eſt, quòd virtus Caffé maxima in ſpiritibus, qui per torrefactionem elevantur, conſiſtat, qui ſi evanuerint, non niſi magma, aut inſipida quædam farina, mucidum & ſitum redolens ſuperſtes erit, illiusque decoctio æquè injucunda, ac ſanitati noxia veniet; hoc animadvertere eſt, cùm farina loco odoris panis calidi & aduſti, mucidum aliqualiter redoleat. Quò diutiùs aſſervatur, eò minoris eſt virtutis, indies odorem & ſaporem balſamicum, qui igne excitatur, aëre verò diſſipatur, amittendo. Minimâ igitur, & quâ ſolum opus eſt quantitate pro ſingulâ vice, ac ipſum ſumendi imminenti tempore, molendum eſt, ut majoris jucunditatis & utilitatis fiat potio. Hac utpote præſtantiori methodo utuntur *Arabiæ deſertæ* incolæ; aliter enim agere & in tertium aut quartum men-

ſem congeſtam ſervare farinam, eſt negligere ejus operationem.

§. II. Ex dictis ergò patet, quantum referrat, *Caffè*, ut in utilitatem vertatur, debitè torrefacere. In hocce verò ſ. videbimus non minus intereſſe, ſi amabilis exoptetur effectus, ut farina debitè coquatur: non inficias tamen eo, quod, cùm tot in ſubſequenti hac farinæ præparatione obſervanda & cavenda non occurrant, res feliciorem plerumque conſequatur exitum, ſi curæ cordique ſint ea, quæ dare, in procinctu ſtamus conſilia, ad decoquendum Caffè. Forma nonnulla vaſis ænei intus extuſque ſtanno obducti in Oriente adhibetur, eamque *Jbriq*, ſicut & ollas & vaſa alia anſata appellant; huic enim uſui maximè mihi videtur appoſitum, cùm venter ejus admodum tumidus, recipiendæ vi ignis, ſicque celeriùs aquæ coctioni promovendæ ſit idoneus: ejus verò collum utpote anguſtum, volatiles Caffé ſpiritus, quique potiſſimam ipſius partem conſtituunt, retinendos ſit aptum: Hæc tamen ſi deſideretur, anſata quævis olla plumbagine, aut cuprea ſtanno obducta, ac huic unico uſui deſtinata uti licebit, cui aquam infundes, decem aut duodecim unciarum pondus non excedentem, igniculo vivido carbonacio imponatur, eique, cùm aqua aliquantulum

tulum ferbuerit, tres circiter drachmas pulveris injicias, ſedulò cavens, ne quidquam effundatur, pulvere enim aquæ immiſſo, illicò incredibili celeritate in ſpumam agitatur, curandum quoque, ut quamprimùm aqua ollæ labia attingere animadverteris, igne amoveas, admovendam identidem, uſque dum duodecies circiter efferbuerit aqua, ne quidquam effundatur etiam atque etiam cavendo, hoc enim ſi accideret, in vanum fieret decoctio, cùm omnes Spiritus, & ſic omnis virtus evaneſceret, & penitùs periret. Quo peracto olla ab igne amoveatur, cineribus ſatis calidis imponenda, ut decoctum calorem quantum poterit, abſque ebullitione conſervet, ibique relinquatur, uſque quo magma fundum petierit, & decoctio limpida, & ſubflava ſuperſit; tunc inclinatione in calicem effundatur, cavendo, ne magma, quod nihili eſt, liquori commiſceatur. Cæterùm hic potus non eſt continuâ ſerie bibendus, ſed tantùm ſorbilandus, quantùm poterit calidè, quò calidiùs enim aſſumitur, eò ſalubriùs. Lingua ne aduratur, crateri non eſt arctè applicanda, ſed ut ferè ipſis calicis extremitatibus innitatur, ac ſic poſtea ſorbilandus eſt, Potionis hujus ſapor aliquantulum amarus eſſe debet, alioquin ſuâ non polleret virtute, qui autem adeo deli-

cati erit palati, ut pauxillum illud amaritudinis non patiatur, Caffé injecto mitiget ſaccharo, quod ipſi majorem inducit jucunditatem, qualitates autem beneficas nonnihil minuit, ſolamque caliditatem relinquit, præſertim ſi nimiâ quantitate addatur. Hoc ita conſuetum eſt quibusdam, ut eis potus hic utplurimum in ſyrupum quendam nigrum faceſſat, hàc mixtione non admiſsà, ipſis intolerabile videtur, & admodum jucundum amaritudine ſublatâ celebrant. Verùm licèt citra ſacchari additamentum potus Caffé ſuis qualitatibus magis inſtructus, ipſis incipientibus & amaritudinem averſantibus non arrideat; nihilo tamen minus ubi parum huic potui aſſueverint, nec amaritudinem ita percipient, imò ipſis nec ſine illâ placebit. Illorum, qui vel per ignorantiam, vel ob parſimoniæ cauſam, ex prima infuſione aliam aquâ novâ conficiunt, modus prorſus eſt contemnendus, etenim, ut utilis evadat, pro ſingulâ vice tantum eſt admittenda, quia virtutem omnem abſtulit prima decoctio. Errant pariter, qui ad Caffé ſpiſſius reddendum, illud in olla ſubinde agitant, ut chocolatæ adinſtar turbulentum aſſumant; magma enim, ut ſuperiùs dictum, nihil prodeſt, & ſoli inter Orientales abjectiſſimi tale Caffè potandum aſſumunt.

Unus

Unus aut alter crater ad ſummum, manè jejuno ſtomacho aſſumptus (quidquid etiam cenſeant Orientales) ſufficiet, abſtinendo deſuper â cibo aliquot horis, & ſic ſingulis diebus ſemel potaſſe, ſat erit, niſi ad plures ſæpius bibendos crateres, peculiares invitent rationes. Sic qui ad malam ſtomachi valitudinem levandam Caffé adhibent, nunquam matutinò tempore, ſed poſt prandium immediatè illud uſurpant, quo in caſu *caryophyllos* aliquot *aromaticos*, aut *cinnamomi* tantillum *acuti* injiciunt, ùt factitare in Oriente aſſolent, quandoque etiam aliquot *cardamomi* grana addunt: at apud nos uſus iſte nondum ita invaluit. Qui palato indulgent, paucas eſſentiæ ambræ guttas, aut parùm ſacchari ambaro imprægnati, aut aquæ florum aurantiorum ſemicochleare, vel aliud quid odorati pro libitu admiſcere ſolent. Ad normam ſupradictæ doſeos pro una tantum perſona deſcriptæ dirigere ſe quis poterit, ejuſque quantitatem prout plures erunt, augere, & eò plus aut minus, quò recentius aut vetuſtius, magiſque aut minus uſtulatum eſt Caffé. Alius adhuc Caffé coquendi modus, multas ob rationes commodior, uſurpari poterit, in eadem nempe quantitate ſuperius deſcripta ejus farina aquæ frigidæ injiciatur, ſubinde coquatur, &

ſtatim cùm decoxerit, adhibitis ſupra notatis cautionibus, ab igne amoveatur, qui modus Arabibus & Orientis Magnatibus magis arridet, præſertim ubi iter faciunt, aut caſtra ſequuntur.

Notandum, quod pulvis *Caffé*, pane aduſto, vel torrefactis fabis tertiâ parte augeri & adulterari poſſit, ita, ut verſatiſſimi vix advertant; periculoſæ fraudis fomes lucrum eſt, quos enim non cogit auri ſacra fames? quibus non lubet, Caffé torrefacere, aut torrefacientibus adeſſe, magis conſultum eſſet, non niſi ab illis, quorum fides ſibi probata eſt, illud comparare, nec viliſſimo emendum quærunt pretio, ſi fraudem vitare ſatagant.

SECTIO III.

Recenſet Caffé qualitates, ejuſque virtutes, quatenus nempe diverſis corporis affectibus præſervativè, & curative inſervit.

§. I.

IN dubium revocari non poteſt, quod DEUS in rerum primordijs, dum terram juſſit herbas arboreſque producere, qualitates pro ſua voluntate ipſis indiderit. Stante hoc principio, certum eſt Caffé ab origine illis omnibus qualitatibus, propter quas tanto cum ſtudio illud acquirimus, prædi-

præditum fuiſſe : Nec tamen ideo eas ab omni ævo fuiſſe notas , opinandum eſt , per multa ſecula non ſolum tectæ manſerant , verùm etiam quid eſſet Caffé , planè ignorabatur. DEUS tamen , qui has facultates ad hominis utilitatem ipſi indiderat, noluit, ut ob ejus ignorantiam ipſarum uſu privaremur , hunc theſaurum, quo tot populi gaudent demum é tenebris erui voluit ; media ad hunc finem adhibita divinam providentiam ita prædicant, ut nemo ſit, qui ea addiſcere dedignetur. Quæ ergo hactenus dixi ad materiam ſternunt viam, nunc enim in rei cardine verſor , & de primis Caffé qualitatibus hocce §. mihi differendum incumbit : In ſcholis autem primæ corporis mixti qualitates intelliguntur eæ , quæ ex unione principiorum ipſius reſultant, & ex quarum combinatione, aliæ corporum dependent proprietates , quæque à Peripateticis qualitates ſecundæ nuncupantur ; ipſi enim omnia mixta quatuor conſtare elementis ſentiunt , qualitatibus ſuis ſtipatis, caliditate, frigiditate, ſiccitate & humiditate , unde hujus argumenti enucleatio perneceſſaria eſt. Nam vix quemquam de virtute Caffé in quibusdam morbis ſanandis convincam , niſi demonſtravero , quà virtute & qualitate id queat efficere : interim hic labor, hoc opus. An-

tiqui enim A. A. qui de Medicina ſcripsère utplurimi artis veteranæ, cùm ad explicandas alimentorum & medicamentorum qualitates accedant, nihil aliud ſtatuunt, niſi calidum, frigidum, ſiccum, & humidum. Neotetici verò nihil quidquam altiùs proferunt, quàm acidum & alkali, aut ſal, ſulphur, & mercurium, utraque hypotheſis ſuis fundamentis ſtabilita eſt; hinc nè cui ſectæ aut Medicorum aut Philoſophorum diſpliceam, medium tenebo: *medio enim tutiſſimus ibis*, commune eſt adagium: adeoque primis veterum qualitatibus ſub nomine vulgò attributorum, ex proprietatibus mechanicis reſultantium, in præſentibus ad evitandam omnem ambagem interea utar, eaſque ſecundum hypotheſin & principia R. R. explicare conabor. Antequam ergò definiamus Caffé, quas habet proprietates, cum Medicis tenendum, res frigidas, aut calidas, ſiccas aut humidas nuncupari, vel reſpectu eorum, qui ijs utuntur, vel ipſarum inter ſe comparatione: ſic vino ejuſque ſpiritu incaleſcimus, quia ab ijs plus ſolito agitatur ſanguis: ptiſanà vero, juſculo vitulinæ carnis, cyatho Limonatæ, aut cereviſiæ alijſque ejuſmodi potionibus aliqualiter refrigeſcimus, quia cùm ijs minus caloris, ob particularum ſulphurearum defectum, inſit. quàm ſanguini, illius

motum

motum tum inteſtinum, tum progreſſivum minuunt : ſic inter ſe comparata edulia, potus & medicamina plus minùs ſanguinem & corpus incaleſcere faciunt. Hæc ut argumento meo accomodem, & ad quæſtionem mihi proponendam reſpondeam, *An calidum vel frigidum ſit Caffé ?* Dico, vino, v. g. ſi comparetur, *frigidum* eſſe; quia minùs activis, & minus inflammabilibus particulis conſtat, ſed ſi cum aquâ ptiſanâ, Limonatâ, & alijs aquoſis potionibus, *calidum* eſſe, quia amaritudinem, & acutum quendam ſaporem aquæ, ſanguini verò ſpiritibusque majorem motum, quam aliæ aquoſæ potiones communicat. Ad ſecundum dico, Caffé reſpectu potantium, ſi ſint temperamenti frigidi & phlegmatici *calidum* eſſe, quia majorem chylo ac ſanguini, pituitoſos humores attenuando, agitationem conciliat ; *Frigidum* verò igneis, bilioſis temperamentis, in ijs enim agitationem nimiam ſanguinis temperat, quia multà aquâ dilutum, & particulis terreſtribus implicatum minuit humorum ebullitionem. Re ipsâ illius potatores conſultemus, alij enim ab eo calefieri, alij refrigerari ſe teſtabuntur ; nonnulli denique, nec melius nec pejus ab eo ſe habere dicent, quod temperatum eſſe, & pro varijs ſubjectis diverſimodè agere ſignificat, temperatæ hu-

jus qualitatis ratio, haud difficilis diſquiſitionis eſt; Caffé enim naturâ ſuâ ſpecies quædam leguminis glutinoſi & terreſtris eſt, quod ipſum in alimentum ſumptum, ſanguinem craſſum, & viſcidum efficiendi, & conſequenter refrigerandi vi tantummodo polleret; ſed cùm torrefiat, phlegmatis pars conſumitur, ſpiritus exaltantur, unde ejus particulæ ſubtiles, & vellicantes fiunt; interim quia torrefactio haud vehemens eſt, & particulas terreſtres ſalis adhuc ſuperſtites habet, quæ actionem præpediant, effectus moderatus, ſeu media inter calorem & frigus temperatura, ut ſæpius eveniat, neceſſe eſt.

§. II. His ergò præmiſſis ad ulteriores & præſtantiores Caffé proprietates ac virtutes progrediamur, & primum quidem obſervandum, potum hunc, licèt ſatis calidè hauſtum, modo debitè ſit præparatus, nec palatum adeo adurere, nec aquæ inſtar eodem caloris gradu aſſumptæ, linguam lædere, quod fortè ideo accidit, quia decoctio parte iſtius pulveris ſubtiliſſimâ ac terreſtri permiſta eſt, ſicque ejus actio aliquantulum præpedita, non tam facile, atque aqua penetrare queat. Metuere fortè poſſent virgines & mulieres, pulchritudinis & elegantiæ ſuæ ſtudioſæ, ne nimius potûs iſtius calor, ſuos deformaret denigraretque

dentes,

dentes , aſt præterquam , quod Orientales populi tantopere potu hoc gaudentes , dentes cæteris nationibus non habeant nigriores , ipſius Caffé magma pro dentifricio diligenter adhibitum , priſtinam dentibus munditiem ac albedinem reſtituit, quemadmodum & de Tabaco fumatorio ſuperſtes cinis albedinem, etiamſi fumus nigredinem, dentibus inducit.

Notabilis maximé hujus potionis effectus editur in ſtomacho : Indubium quippe eſt, mirum in modum coctionem, quæ ibi peragitur adjuvare , â multis etiam populis & Aſiaticis & Africanis, imò & quibusdam Europæis, quibus lex Mahometana uſum vini interdicit , iſtius loco uſurpatur. Aſt quot in hiſce regionibus habemus vini amantes, quorum plurimos audio ſuſurrantes, Caffé admittendum tantum eſſe, ut vino ſubſtitueretur, cùm autem vitibus & uvis ſatis ſuperque terræ noſtræ abundent, ecquid illius potionis peregrinæ ! ad hæc verò reſpondeo, certis in caſibus illud iſti longo cedit intervallo. Quamplurimi enim ſunt cujuscunque ſexûs , ùt & ætatis abſtemij , quibus Caffé non niſi utile eſſe poteſt , quotquot itidem febri aliquâ aut cephalalgiâ , aliâque invalitudine laborantes, vinum non niſi noxium evadit, cùm e contra Caffé valde ipſis ſit ſalutiferum.

rum. Etenim in ſtomachis quibusdam, vino muſtove plenis, certa quædam deſtillatio artificiali quaſi ſimilis peragitur, ſpiritus ſubitò ſeparatur, in venas repit, incitato motu inteſtino ſanguinem agitat, cerebrique membranas lædit, & cephalalgiam cauſat, quod reſiduum manet in ſtomacho, eſt aut acetoſum quid, aut tartarus vini phlegmate diſſolutus, qui tartarus ſi ad inteſtina deportaretur, *Colicæ*, ſi in renes, *calculi*, ſi in articulos, *podagræ* cauſa exiſtit; horum nihil â Caffé exſpectandum, illius enim ſpirituoſæ partes non adeo inflammabiles ſunt, nullum ineſt ei acidum, quod ejuſmodi incommoda poſt ſe trahit, adeò, ut qualibet ferè quantitate aſſumptum, nullum capiti dolorem inferat, non inebriet, non eſt, quod inficientur, multis in locis Caffé vino longè utilius eſſe. Nec ſilentio preterire poſſum, quod ſententiam meam ratam facit, Caffè nempe ſolvere ebrietatem, teſte experientiâ quotidianâ eorum ſaltem, qui vino planè merſi non ſunt, eo ergò nomine vini potatoribus gratum eſſe debet. Caffé primam coctionem mirabiliter adjuvat, omnemque ab eâ perturbationem averit. Nam ut ex ejus ſpagyricâ analyſi patet, duabus ſubſtantijs, unâ ſubtili, & volatili, alterâ terreſtri conſtat, ſubtilique nimiam fermenti eſurini aciditatem obtundit,

omne

omne enim ſal volatile acidum delinit, & mitigat; Pars terreſtris verò deterſiva eſt, & tantillum adſtringens, ſicque ſtomacho amica, hujus quippe fermentum roborat qualitate ſuâ deterſivâ, tartareaſque fæces in eo, & tenuibus inteſtinis contentas expurgat, acidas cruditates, quæ in primis vijs interdum fluctuant, ſuo alkali abſorbet, nulli omnino corruptioni obnoxium eſt, coagulationes humorum, earumque cauſas fortiter impedit, & hinc tranſpirationem inſenſibilem, ac ſanitatis conſervatricem admodum juvat. Siquidem Medicina experientiam ratiocinijs confirmare debet, ex obſervaitonibus celeberrimorum virorum, quam plurima referre poſſem exempla eorum hominum, quorum Caffé ſiniſtram ſtomachi valitudinem levavit. Unum generale & demonſtrativum allegare ſufficiet. Turcæ, quamvis non niſi aquam potent, leguminibus, lacticinijs, & fructibus horæis magis, quàm carnibus veſcantur, unà cum pane azymo minusque cocto, qui ſtomacho maximè noxiùs videtur, rariſſimè tamen ejus affectibus laborant, quod non niſi huic potui debent; Licet enim potiones aliàs, uti *Sorbetum* & *Choſaf*, ex melle, uvis ſiccis, & acido citri confectum quandoque uſurpent, credibile tamen non eſt, ejuſmodi hauſtus ſtomachi cruditatibus ex alimen-

alimentorum indigeſtione natis, corrigendis, idoneos eſſe; imò *Sorbetum* non niſi æſtate, Caffé verò nullo non tempore ipſis in uſu eſt. Interim in noſtris plagis etſi vinum ſatis generoſum potetur, nec nobis, ut Orientalibus, cibis ita crudis veſci accidat, mirum quantum ſtomachi morbis & indigeſtionibus obnoxij ſumus. Poſtquam ergo demonſtratum eſt, Caffé laudabilem procurare digeſtionem; concludendum venit, ipſum quoque idoneum eſſe impediendæ generationi lumbricorum, qui ex indigeſtione & cruditatibus in aliqua corporis cavitate ſtagnantibus naſcuntur: conducit quoque corruptioni oppugnandæ, non ſecùs ac alia amara & detergentia pharmaca.

§. III. Valet præterea Fabæ noſtræ Arabicæ potus, pituitam vitream veteribus ſic dictam, colicæ inteſtinalis cauſam frequentem, non ſecus ac cruditates ſtomachi corrigere & reſolvere, ſicque etiam Epatis, Lienis, Pancreatiſque obſtructiones â viſcidis humoribus ortas, feliciter reſerare; hunc in finem etiam uſurpant in Ægypto, teſte *Proſpero Alpino*, idque felicius operatur, quàm tinctura cichorij, a cujus ſapore non admodum abludit. *Veslingius* pariter aſſerit præſtantiſſimum eſſe Caffé, cùm ſucci frigidi, & craſſi inteſtina, vaſaque per totum

tum Corpus diſperſa obſtruunt: hicque effectus ita omni contradictione major eſt, ut in cauſa ſit, cur *Bunchum* Avicennæ pro iſta *Bon* aut *Caffé* acceperint, ob eximias, quas ipſi tribuunt vires. Hodierni omnes unanimiter conveniunt, ipſum inſignis utilitatis eſſe in viris phlegmaticis, puellisque chloroſi laborantibus, quarum plurimas hæc ſola ſorbitio levat, quumque inſtitutâ ejus analyſi, ſale volatili abundare in aprico ſit, non mirabimur, ipſum prava ſanguinis fermenta emendare, ſanguinis ſuperfluam humiditatem & glutinoſitatem conſumere, humoresque craſſiores attenuando, eorum expulſionem promovere: Hinc concludendum eſt, idoneum quoque eſſe ad provocanda fœminarum catamenia, quod quidem experientiâ conſtat; aſſeverant enim plurimi, uteri obſtructiones tollere, atque ſolitas mulierum evacuationes ſuppreſſas iterum procurare. Frequenter in hunc finem mulieres Ægyptiacæ & Arabicæ eo utuntur, præſentem fluxum facilitaturæ, aut ejusdem excretionem promoturæ: Cæterum conjicere eſt, cùm morbis mulierum, ortis ab iſta evacuatione imminutâ, aut depravatâ inſerviat, alijs quoque hujus ſexûs pravis valetudinibus avertendis, præcipuè vaporibus uterinis diſſipandis, non eſſe ineptum. Celebris Medicus

C Santo-

Santonenſis D. *de la Cloſure* litteris ad *Sponium* datis, teſtatur, ſe frequenti experientiâ noſſe, Caffé calidè ſumptum fluentibus Catamenijs, alvi tormina patientibus, magnum eſſe ſubſidium, ſanguinem minùs acrem & magis fluidum reddendo: Addit etiam convenire mulieribus, quæ jam enixæ ſunt, citra ullum periculum, ad vires reparandas, totoque puerperij tempore, crateres binos ſingulis diebus, impunè ſumere poſſe.

Plura de hujus potûs præſtantia jam diximus, nec tamen adhuc ejus omnes qualitates enucleavimus, utiliſſimum enim pariter reperiemus ad Renes expurgandos, ſeroque viam ſternendam. Præterea calorem naturalem ſuſcitat & fovet, impeditas quaſcunque ferè vias pertranſit, & apertas ſervat, ſicque univerſam œconomiam animalem ad ſummum quaſi perfectionis apicem ferè perducit. Frequenti haud dubiè illius uſui debent Turcæ, quod ab Hydrope ferè ſint tuti, hocque morbi genus penè in Oriente ignoretur. Angli quoque ſcripto quodam 30. circiter abhinc annis Londini edito, teſtantur, Hydropem ſicut & Podagram longè jam inter ipſos rariores eſſe, à quo tempore potui Caffé ſæpius indulgent: nec dubito, ſi noſtrates vinipotæ à vino ad potionem iſtam ſe conver-

verterent, infauſto huic morbo longé minus obnixij forent.

Aſſerit *Möllenbroccius* Medicus Germanus, in tractatu de Podagra vaga ſcorbutica, à Danis, Suecis & Batavis, quotidiè in morbis Hypochondriacis & ſcorbuticis Caffé utilitatem probari. Nec mirum, morbi enim iſti, cùm ab humoribus tartareis, acidis, & corroſivis originem trahant, ſimilibus præſidijs mitigentur, neceſſe eſt, idque ſuo ſale volatili præſtat, velut alia antiſcorbutica, choliaria nempe, trifol. fib. naſturtium &c.

Maximè inſuper commendat hunc potum, virtus præſervandi à Calculo, uti & Podagra, ſtomachi coctionem juvando, tum ſanguinem à ſuperfluis ſalibus, ſeròque expurgando. Hoc enim confirmant, qui diu in Oriente degebant, dum ijs regionibus Podagram & Calculum raró reperiri aſſerunt, quod non niſi ex frequenti potionis iſtius uſu oriri poteſt, quæ tantum malis hiſce avertendis inſervit.

§. IV. Cùm *Caffé* partibus duabus, craſſa una & terreſtri, altera verò ſubtili & ſpirituoſa conſtet, ſciendum eſt, partem illam ſpirituoſam, quum utpote de ſulphure & nitro multum perticipet, nitro-ſulphuream à ſpiritibus animalibus non valde diſſimilem eſſe, multas quoque ejuſmodi partes

vinum continet, ſed ita puræ non ſunt, nec cum ijs, quæ ſpiritus animales componunt, ita conformes, vinum quippe partibus heterogeneis reſpectivê abundat. Cùm e contra Caffé ſpiritus puriores ſint, minusque diſſipabiles, ac capiti proinde ſublevando idonei; conſtat enim frequenti experientia, capitis dolores potum hunc citò avertere, humores enim acres ad cerebrum repentes diffundit & diſſipat, novosque oriri impedit. Imò ſunt, qui ſolo calentis potûs fumo in caput recepto, dolores mitigari obſervarunt, quod parti ejus volatili procul dubio debetur. Orientales hunc potum non modo levandis capitis doloribus idoneum arbitrantur, verùm ab experientia quoque ſunt perſuaſi, fumum oculis receptum, maximè favere ijs, qui oculorum affectibus detinentur, aut quibus alioquin debilis eſt viſûs acies, quod in cauſa eſt, cur plurimi, cùm *Fingeans* calidi Caffé ipſis offeratur, antequam illud potent, oculis apponunt, ejuſque vapores recipiunt. Plurimi etiam tollendis aurium doloribus, craterem ad fumum excipiendum auribus applicant, indeque non minimo afficiuntur levamine.

Supereſt, ut de hujuſce potûs Somnum avertendi virtute aliquid dicamus: *Williſius* in ultimis & poſthumis ſuis operibus, de

de Caffé Londini uſitatiſſimo loquitur, & ſuas obſervationes Medicis aliquando præſcripturis neceſſarias proponit, illud remedijs narcoticis opponit, abſolutoque de his tractatu, de iſto quoque verba facit: omnem ejus ſomni pellendi facultatem â certis quibusdam partibus aduſtis dependere prætendit, quibus & natura & præparatione valde imprægnatur, quæ partes operari dicit, poſtquam Maſſam ſanguinis intrârint, ita & poros cerebri teneant apertos, liberumque ſpiritibus tranſitum ſternant. Celebris hujus Medici, multorumque Medicinam profitentium experimentis ſuffulti, credimus, potum hunc Maſſam ſanguineam, humidum nimis & glutinoſum abſumendo, exſiccare, ſpiritusque animalis proventum accelerare; quò minùs enim ſanguinis maſſa materia glutinoſa & pingui abundat, eò faciliùs partes ejus ſubtiliores emicant: Quemadmodum ex liquoribus minus pinguibus & viſcidis, aut quorum partes minùs confuſæ ſunt, facilius Spiritus extrahitur. Sané juxta *Willisii* opinionem, Caffé exſiccat, hinc ijs, qui ſunt graciles aut temperamenti ſicci & calidi interdicitur, econtra cum ſucceſſu ijs præſcribitur, qui temperamento contrario ſunt prædìti. Septentrionalibus & Aſiaticis mollibus quippe & effæminatis, aut vino alioquin abſtinentibus non parùm conducit

Sunt,

Sunt, qui credunt reapſe ſomnum p. n. fugare, hincque omnibus morbis Lethargicis medendis idoneum eſſe, non verò impedire ſomnum naturalem; repiuntur quidem homines, qui ejus uſu inſomnia curarunt, hic nihilominus effectus ordinarius non eſt, multique non malè ſe habentes aſſumpto poſt cœnam Caffé, ad ſomnum vix ſeſe componunt, vigilaturi aptum valde ſe deprehendunt, Spirituum ſcilicet, quos vigilia diſſipat, reparatione. Probabile ulterius eſt calorem actualem, quo cum ſumitur, nimiam chyli cruditatem alterando non parum idoneum eſſe, ejusque particulas diureticas magnam humiditatis, procurando ſomno neceſſariæ partem, per urinas abripere. Cùm tota M. S. circulationis lege, fluat per pulmones, impoſſibile eſt ipſos non labefactari, ſi ſanguis impurus, crudus, acris, aut nimium ſeroſus ſit: hinc, tuſſis, aſthma & ſpirandi difficultas &c. facile exoriri poſſunt. Indubium itaque eſt, Caffé in his caſibus magnum fore præſidium, præſertim ſi lacte ſit alteratum; utpote acrimoniam M. S. temperat, demulcet, corrigit, & ſuaviter vel per Diureſin, vel Diaphoreſin, particulas heterogeneas eliminat, nec non correctis humoribus, læſos pulmones tandem ſanat & conſolidat.

Excederet fere hujus Diſquiſitionis moles,

les, ſi omnes adducere ſtuderem hujus potûs virtutes, qualitates, Authorumque experimenta: ſed brevitati ſtudens, hæc interea, quæ ad legitimum ejus Uſum magis videntur neceſſaria, ſufficient.

SECTIO IV.

Subjecta, eorumque complexiones, atque morbos, quibus Caffé minus idoneum eſt, ceu ejus abuſum conſiderat.

§. I.

Nullum remedium eſt, quod magnificè proſit, quin aliqua ratione noceat. Vel, ut ait *Valeſius* lib. 4. method. cap. 2. *Nihil eſt, quod proſit, quin aliqua ratione nocere poſſit.* Sanè parili ratione res ſeſe habet cum potu Caffé, remedio aliàs multùm proficuo, cùm hic ipſe quibusdam in caſibus & ſubjectis inutilis & minimè idoneus evadat. Hinc, ſi quidam ex ejus uſu commoda non percipiant, qualitates ipſi attributas deeſſe, ne exiſtiment: Etenim plantæ non ejusdem omnibus ſunt efficaciæ: ſic Manna quosdam conſtipat, alios verò Senna in Syncopen præcipitat, licet vulgò purgantia ſint benigniſſima. Si ergò qui ſint, quibus Caffé nocet, illud ne proptera vituperent; in culpa fuit proprii temperamenti ſeu complexionis non fun-

data cognitio, & omiſſa periti alicujus Medici conſultatio : ſic quidam reperiuntur, qui huic potui nunquam aſſueſcere, nec eundem aſſumere queunt, quin vomitum vehementem in ijs excitet, quod indubitatè probat, ſtomacho æquè ac cordi ſuas eſſe antipathias. Ad dignoſcendum igitur caſus, in quibus Caffé periculoſum & incommodum eſſe poſſet : conſiderandi ſunt ij, in quibus allaturam Caffé utilitatem commendavimus, indeque concludendum, corpori in ſtatu & temperamento oppoſito conſtituto, non niſi noxium eſſe poſſe : ſic temperamentis pituitoſis, ſtomacho debilibus, digeſtionem graviter perficientibus, obſtructionibus, humoribus glutinoſis obnoxijs, valde eſt conducibile ; Ergò bilioſis, ſtomachis juſtò celeriùs digerentibus, nimium æquè calidis, ijs quibus vaſa ſanguine ſubtili, rapidiuſque circulante ſunt repleta, non niſi noxium eſt, ſimiliter quos tuſſis & ſputum frequens, â venarum arteriarumque anaſtomoſi, vel diapedeſi, aut ſubtili acrioriquc ſanguine originem trahens affligunt, illis minimè etiam convenire videtur.

In Genere autem minùs conducit macilentis, quàm corpulentis, ſaltem ſi â ſanguine fervidiori macies oriatur, qui nimis fluidus, juſtoque rapidius circulans, in

parti-

partibus ad ſuppeditandum ijs alimentum detineri ſatis nequit : Etenim ſi macies e-contra oriatur ex eo, quod ſtomachus functiones ſuas, non ùt par eſt, obeat, ſive quod in inteſtinis lateant obſtructiones, quæ ſanguinis reſtaurationem & purificationem impediunt, ijs conducit Caffè, obſtructiones tollendo, eosque reſtaurat.

§. II. Illi verò, quibus ſanguis eſt nimis abundans, nimis que ſubtilis, â Caffé abſtineant, item in morbis Pectoris, ne videlicet ſanguinem ulterius adhuc volatiliſando, ipſum in pulmones magis adigat. Sic anonymus quidam Author, de potu Caffé ſcribens, obſervabat, Nobiliſſimum Lutetiæ Virum, dicto modo affectum, & reſpirandi difficultate laborantem, qui potu Caffé ſe levatum iri putavit; at è contra ab ejus uſu Peripnevmoniâ prehenſus, poſt paucos dies animam exhalavit : Pſthyſici quoque confirmati, præpoſtero ejus uſu obitum ſuum maturarunt. Verbô conſiderandum eſt, liquores corpus noſtrum pervadentes, machinamque noſtram Elaſticam in motum redigentes, duobus modis ſibi oppoſitis eſſe corruptibiles, aut enim nimis inſpiſſati ſunt, aut nimis ſubtiliſati; in priori caſu, niſi aliud obſtet, Caffé perutile erit, at in poſteriori peſſimum, niſi malignum aliquod fermentum, rarefactionem

 nimi-

nimiam, fermentationis ope oppugnandum habeat. Ex his omnibus concludo, eos, qui hoc genere potûs minùs oblectamenti, magis ſanitatis gratiâ uti voluerint, & ſuum temperamentum ſeu complexionem, & bonæ aut malæ ſuæ valetudinis originem ignorant, Medicos artis ſuæ gnaros conſulere debere; aut ſaltem conſulendi ſunt tales, qui ijsdem morbis detenti, ſanitati per Caffé fuêre reſtituti.

DE CHOCOLATA, ANACRISIS.

SECTIO I.

De Chocolatæ ejusque ingredientium Nomenclaturâ, atque eſſentiâ, nec non de ejus præparatione, modoque bibendi.

§. I.

QUandoquidem *Chocolatæ* potus, uti & *Caffé*, inter Europæos tantopere introductus eſt, ut quaſi non amplius Americanis familiaris ſit cenſendus: Idcirco pariter ejus naturam, genuinum uſum, virtutes, & noxas, non niſi, prout

prout in præcedenti tractatu de potu Caffé factum, diſquirere ordo nunc poſtulat; Cùm itaque noſter ſcopus requirat, ut recto tramite rem aggrediamur, non abs re fore exiſtimo, hujus potûs *Onomatologiam* primò locò rimari.

Chocolata ergò eſt vocabulum purè Americanum, & à vocabulo *Choco*, quod Americanis Sonum ſignificat, quem hic ſuccus inter coquendum & effervefcendum edere ſolet, & â vocabulo *Atte* vel *Atle*, quod Mexicanis Aquam denotat, derivatur: Nonnullis dicitur *Cacaoatle*, â fructu videlicet *Cacao*, ex quo cum aqua ſimplici, vel alio liquore *Chocolata* præparatur, hinc Germani vocare ſolent *Chocolat*-Waſſer. Miſſâ nominali, ad realem ipſius nos convertimus deſcriptionem, & dicimus: *Chocolatam* ſpeciem eſſe ſolidæ paſtæ, ex varijs ingredientibus, cujus præcipuum eſt *Cacao*, ex quâ paſta liquore aliquo dilutâ, potus paratur, palato gratus, ac ſanitati perutilis. Eſt autem aliqua inter Autores diſcrepantia in Chocolatæ compoſitione, ejuſque ingredientium Numero & Doſi, quæ pro locorum uſu, aut pro cujuſcunque ſapore, aut pro varia Medici intentione & ſcopo, diverſimodè paratur: unam verò ex omnibus, Celeberrimi nimirum *Barthol, Marradonis*, Medici Hiſpani,

de-

deſcriptionem adducere intendo , quæ ſequenti modo conficitur :

℞. Fruct. Cacaos , *Num.* 700.
Sacchar. albiſſ. *lib.* iß.
Cinnamom. *unc.* ij.
Piper. Mexic. Chiles alias dicti. gr. XIV.
Caryophyll. arom. *unc.* ß.
Vanillæ , *tres ſiliquas* , *vel ejus loco* , Semin. anis, *unc.* ij.
Achiotæ , *avellanæ magnitud.*

Quidam , *inquit* , addunt parum aquæ Naphæ, Moſchi vel Ambari gryſei gran. I. &c. ſed his & ſimilibus ſuaveolentibus cautè mercandum eſt , nè ob ſpecialem quorundam idioſyncraſiam , horumque averſionem, periculoſa accerſentur ſymptomata. Compoſitionis itaque famoſſimi *Marradonis* ingredientia , ſigillatim examinabo , antequam præparationem & mixtionem ejus deſcripturus ſum.

Imprimis ergò ARBOR , quæ hanc nucem fert , ab Americanis vocatur *Cacahuaquahuitl* , ut ait *du Laët Hiſt. occident.* lib. 7. cap. 2. & *Ximenes* , in plantarum & animalium Americæ deſcriptione : ſivè *Cacaotal*, ut obſervat *Thomas Gage* Anglus ; altitudinis & magnitudinis eſt adinſtar Arantiorum arboris , foliaque non diſſimilia , ſed paulò majora habet. Hæc ita delicata eſt , ſolumque , in quo naſcitur ita calidum, ut

ut Americani, ne radijs ſolaribus aduratur, priùs arborem quandam *Atlinam* dictam, plantare ſoleant, quæ ubi in ſufficientem altitudinem excrevit, nec non ſatis umbræ dare poteſt, primò ſub ejus ramis *Cacao* plantant, ut nimirum obumbretur & â radijs ſolaribus defendatur, ideò etiam *Atlinam cacao* matrem appellitant, nulli quippe alii uſui deſtinatam.

Fructus *Cacaotal* nudus non ſuccreſcit, ſed ſiliquâ camulatâ tectus & circumveſtitus, non ſecus ac noſtri melopepones. Hos fructus *Cacahuacintli* nominant: continent autem copiam non exiguam nucum *Cacao*, quæ ſunt amygdalarum majorum adinſtar, ſed compactiores & palato gratiores, 20. aut 30. imò 40. in ſingulis ſiliquis continentur. Unaquæque nux in duas dividitur partes, ſimul apprimè junctas, quas tegit alba quædam pellicula, ſucco quodam refrigerante & humectante prægnans, qui ab Americanis mulieribus in delicijs habetur, atque ab eis exſugitur. *Colmenero* & *Thomas Gage*, duas *Cacao* ſpecies numerant: *duæ*, inquit ſecundus hic Autor, *Cacao ſpecies; vulgare unum coloris obſcuri, ſubrubri, rotundum, & in extremitate punctatum: alterum* Patlaxe *dictum priori latius, craſſius, & deſiccans magis, pretioque minori, ſomnum poten-*

potentiùs arcet , *& ideo parum in uſu*, *niſi inter plebeos.*

Dominus *Moreau*, quatuor ſpecies eſſe ait : *prima* inquit vocatur *cacahuaquahuitl*, omnium maxima & fructuum feraciſſima. *Secunda* ejusdem nominis , mediocris magnitudinis , fructus habens minores. *Tertia* adhuc minor *xuchi cacahuaquahuitl*, cujus fructus ad extra rubri, intus alijs ſimiles. *Quarta Tlalcacahuaquahuitl*, omnium minima, fructumque minimum ferens, colore adeò ab alijs non diverſum. Omnes autem iſti fructus ijsdem pollent viribus , eidemque uſui inſerviunt , quamquam ultimus cæteris omnibus ferè præferendus ſit , à nonnullis ſtatuitur ; Electione tamen utendum, ne mucidæ , carioſæ, aut quocunque modo corruptæ ſeu vitioſæ, verùm integræ, pingues, diligenter aſſervatæ & ſapidæ nuces adhibeantur.

II. SACCHARUM *Chocolatam* ſubingreditur , non ſolum ad ſaporem acerbum *cacao*, & aliorum ſimplicium hujuſce compoſitionis temperandum, ſed etiam ad ipſius conſervationem, uti ſit cum vulgaribus conditis ; id tamen non obſtat , quod , ſi nimis vetuſta ſit compoſitio , tandem vermiculi in ea generentur , qui non ſecus ac vetuſtum caſeum illam utrobique perforant ,

rant, præcipuè ſi in loco humido aſſervata fuerit, aut nimia ſacchari quantitas ei addita ſit.

III. CINNAMOMUM, quo in *Chocolatæ* confectione utebantur in America ante Hiſpanorum adventum, non erat cinnamomum orientale, in illis regionibus adhuc incognitum: illud procul dubio uſurpabant, quod apud Monardum *lib. de plant. cap.* 25. deſcribitur; eſtque Arbor mediocris magnitudinis, folia Lauro ſimilia habens, fructum inſtar pileoli violacei ferens. Hic fructus ſaporem & odorem Orientalis cinnamomi refert, inſipido & inodorato cortice, utuntur aliàs pulveriſato in ferculis: ſtomachum roborat, flatus diſſipat, pravum oris odorem corrigit, & colicam ſedat. Unde non inconſultò Chocolatæ admiſcetur, utpote attenuare & ſubtiliſare terreſtres *cacao* partes, & ejus ſtomachicam vim augere potens. In ejus locum verum Cinnamomum Ceylonicum, qualitatibus ijsdem pollens, ſubſtitui poteſt; ſed in eo caſu doſis minuenda, quia cùm ſit Americano validius, unciæ duæ in præſcripto requiſitæ nimiæ eſſent.

IV. PIPER Mexicanum, ſeu Chylles, ſive Chylli, duo ſunt genera, *Orientale*, quod eſt zingiber, & *Occidentale*, aliàs piper Mexicanum, ſeu de *Tabaſco* dictum, quia

quia in illa novæ Hiſpaniæ provincia copioſé creſcit : *du Laet in ult. cap. lib. V.* ait, hunc fructum ex arbore domeſtica *xocoxochitl* procreari, cujus folia ſunt odorata, flores rubri ſicuti Balauſtiorum, ejusdem ac flores arantiorum odoris pergrati, & dulces, fructus rotundi, & racematim ex arbore pendentes, primò virides, mox ruffi, tandem nigri, guſtu acres, ſuaveolentes, calidique & ſicci, ita ut piperi ritè ſubſtitui poſſint. Multi tamen ex hac compoſitione piper eximunt, quia nimis calidum & acre, & propterea Medici vix unquam piper rotundum, niſi integrum, ægris ſuis præſcribunt; hoc enim modò ſtomachum calefacit & roborat, nec tamen viſcera, in quæ non permeat, incaleſcere valet, Cùm econtra pulveriſatum, calorem & ſitim intolerabilem pareat. Quamobrem plurimi Chocolata utentes, poſtquam obſervaſſent, ſe ab ejus uſu incaleſcere, & in facie eorum puſtulas aut guttam roſaceam excitari, meritò ab ea piper, cui hunc effectum tribuebant, exulare juſſerant.

V. CARYOPHYLLIS aromaticis non pauci etiam in hac compoſitione abhorrent, fortè, quia alvum conſtipant, quanquam aliàs ſint ſtomachici, & alijs optimis qualitatibus donati, quibus utpote notiſſimis non inſiſto.

VI.

VI. VANILLA, quam alij *Mecuſuchil* vocant, eſt ſiliqua, odore ſuavi, guſtùque acri prædita, ſtomachum roborat, glutinoſos humores incidit, & attenuat, potenterque venenis reſiſtit, menſes & urinam promovet: cum Tabaco mixta, ejus ingratum ex fumo odorem corrigit; fusè ejus virtus deſcribitur, apud *Euſebium Norinbergicum* & *du Laët*, Lib. 5. Cap. 4.

VII. ACHIOTA, ſuccus eſt inſpiſſatus, ex fructifera arbore *Achiotl*, alijs *Changuarica*, aut *Pamaqua* vel *Orleana* dicta: Eam deſcribit Nobilis Peregrinator *Thomas Gage*, dum inquit: *Achiota in cujuſdam arboris rotundis ſiliquis ſuccreſcit, quæ granis rubris refertæ ſunt, ex quibus paratur* Achiota, *quem primò in Maſſam redigunt, mox exſiccatam in globulos, placentulaſuè efformant, quas in foro ad vendendum exponunt &c. Achiota*, paulo ſuperius ait, *qualitatis eſt penetrantis & attenuantis, uti ex Americanorum Medicorum praxi patet, qui experientiâ edocti, illum quotidie ad incidendos & attenuandos craſſos, viſcidoſque humores, Aſthmatis & Dyſuriæ parentes, præſcribunt, in omnibus pectoris, viſcerum aliorum obſtructionibus, ac ſimilibus morbis utiliter uſurpant.* Notandum, Chocolatæ ingredientia, ùt ſupra inſinuavi, non eſſe

D fixa

fixa, quædam enim adduntur, detrahuntur, aut immutantur, pro varijs conficientium intentionibus. Sic vulgus Nigrorum & Americanorum, nihil præter *Cacaos*, *Achiotam*, *Chilles & Aniſum* accipiunt. Alij Cinnamomum redolere volunt: alij dulcem, alij acrem eſſe cupiunt. Inde fit, ut varij coloris, ſaporis ac diverſi pretij & effectûs reperiatur. Chocolata in his regionibus compoſita, nimis inſipida Americanis, apud illos verò confecta, nobis intolerabilis foret.

§. 2. Examinatis cognitisque Chocolatæ ingredientibus, ad ipſius præparationem atque mixtionem ſimplicium, tum & bibendi modum me conferam. *Cacao igitur & alia, quæ Chocolatam componunt*, ait Colmenero, *contundi, & teri debent in mortario, aut ſuper lapide lato & polito, quem in Indijs occidentalibus* Metaitl, *vel* Metate, *vocant, huic uſui deſtinatum. Sed antequam terantur probe exſiccari & torrefieri ad ignem opus eſt, ut faciliùs piſtentur, Achiotâ exceptâ. Sed curandum eſt, ut continuò in torrefactione moveantur, ne adurantur, nigreſcant & amareſcant, nam taliter vis eorum periret. Cinnamomum & Piper Americanum ſi addere velis, primò teri debent, ſimulque cum pipere Aniſum, & ultimò*

ſed

ſed ſenſim Cacao, per duos aut tres dies ejus trituram iterando ſuper lapide; ſingula autem ſigillatim terenda; dein omnia pulveriſata cum cacao *in vaſe, cochlearis ope, miſcenda, parandàque maſſa, quæ teritur iterum ſuper lapidea tabula* aletata *dicta, levi ſuppoſito igne, ubi mixtio probé facta, vitando nimium calorem, ne butyroſæ partes reſolvantur & diſſipentur. Obſervandum etiam, ſimul cum cacao addendam eſſe in trituratione Achiotam, ùt faciliùs color concilietur: Pulveres omnes, excepto cacao, per ſetaceum trajiciendi ſunt: Sique cacao cortex eximatur, delicatior & gratior erit confectio. Tritis & incorporatis omnibus, maſſa illa feré liquefacta cochleari extrahetur, formebuntur tabellæ, pyxidibus includendæ, quæ ubi ſimul ac refrigerabuntùr, indureſcent. Prius tamen chartæ, aut magnis quibusdam arboris folijs, veluti Platani Americanæ, affundenda maſſa, & tabellæ formandæ, àtque ad umbram ſiccandæ, poſtea eximendæ & in pyxidibus ligneis conſervandæ.* Varios adhuc Americanorum Chocolatam parandi & componendi modos deſcribunt, *Piſo & Hugheſius.* Sic

imò: Cacao nucleos probè curatos, & in ſole vel ſupra lentum ignem in vaſe conveni-

venienti ſiccatos,detractis cuticulis in mortario marmoreo tundunt,& comminuunt in particulas tenuiſſimas, paſtam inde efficientes, quæ vel ſeorſum vel addito ovo & farina, *Mayzij* tantillo in rotulas, pilas, trochiſcos, aliasvé maſſas formari poteſt, vel in pyxides immitti, quæ ſuper aſſeres, ſeu tubulos æquales ſuppoſito folio aliquo, aut chartâ mundâ in umbra ſiccanda; in ſole enim liqueſcunt, adeoque brevi indureſcit paſta, & ad hebdomadam, menſem, anni dimidium, aut etiam integrum annum, pro uſu quotidiano ſervari poteſt. Si nucleos in ſartagine ſupra ignem exſiccas, cavendum tibi eſt, ne adurantur. Nuclei non nimis tundendi ſunt, ne plus æquo oleoſi evadant; panes & rotulæ Chocolatæ curioſè compingi & lævigari debent, ne rimis, aut fiſſuris hient, adeoque aëre ſe inſinuante mucidi brevi fiant, nec diu durent,

IIdò: Nonnulli ſupra lapidem amplum, æqualem, lævem, & politum commolunt nucleos in tenuiſſimam farinam. Supra alium deinde, quem in promtu habent lapidem aut laminam ferream, farinam extendunt, & ſuppoſito lento igne, quantus ſufficiat ad impediendum, ne laminæ adhæreſcat, manibus ſubigunt, & efformant in quaſcunque ipſis placuerit figuras, vel ſeorſim,

orſim, vel cum tantillo *Notty*, quæ cardiaca eſt, atque hæc inquit, optima eſt Chocolatæ paſta, utpote ſimpliciſſima, quaque Indi olim ante Hiſpanorum adventum uſi ſunt.

IIItiò: Hiſpani noſtrates eos imitati, nucleorum *cacao* paſtæ adjiciunt, vel *Chylle*, vel *Achiote*, vel aliud quodvis â ſupra dictis ingredientibus, vel plura eorum ſimul, quæ haberi poſſunt, pro guſtu conficientis, vel pro utentium conſtitutione, vel medentis ſcopo, additâ tandem ſacchari q. ſ. ſingula autem, quæ maſſæ admiſcenda ſunt, ſeorſim debent comminui, & in pulverem ſubtilem redigi.

Non minor eſt diverſitas in potu Chocolatæ potando; etenim Mexicani, tum parare ſolent cum *Atolla* quæ eſt frumenti Indici farina in aqua diluta & cocta, antiquiſſimus eorum potus. Varios *Attollæ* præparandi modos â *du Laët* deſcriptos, lib. 7. cap. 8. hic recenſere ſuperſedeo, cùm in noſtris regionibus potus ſit ignotus, flatulentus, & malè ſanus.

Sunt alij Chocolatæ bibendi modi, inquit Thomas Gage. *Primò enim diſſolvitur in aqua frigida, & ligno denticulato agitatur, ſpuma elevata in alto reponitur vaſe, reliquum cum ſufficienti quantitate ſacchari igni apponitur, & ubi ad-*

huc calidum eſt , ſpumæ prius ſeparatæ affunditur, totúmque epotatur. Sed vulgatiſſimus parandi modus hic eſt : Aqua bulliens infunditur crateri, quem ebibere cupis ad medietatem , inde Chocolatæ tabella una aut altera diſſolvitur, donec inſpiſſata ſatis appareat, mox probè ligno denticulato agitatur, & in ſpumam vertitur, tandem reliqua crateris medietas aquâ calidâ cum ſaccharo repletur , propinatúrque , commedendo priús aliquid conſervæ , aut Maſſapanis Chocolata intincti. Alius adhuc eſt modus, in Inſula præcipuè S. Domingo *uſurpatus ; Chocolata enim ſimul cum aqua & ſaccharo in vaſe coquitur , donec unctuoſa ſupernatet ſpuma, tuncq; calidè hauritur.*

Americani , in feſtis & convivijs , refrigerij gratiâ, frigidam Chocolatam potant , hocq; parant modo : eam aquâ frigidâ diluunt , ligno agitant , ſpumam eximunt ſupernatantem ; mox ſaccharum aquæ, in qua diſſoluta eſt Chocolata, admîſcent, & ex alto ſpumæ , quam reponunt, affundunt, ſicque frigidè aſſumunt. Ita refrigerat hic potus , ut eo pauci impunè uti queant ; ſtomachi enim dolores, præſertim in mulieribus , aliáque incommoda cauſat.

Liburni, & in alijs Italiæ locis, ubi omnia ferè

ferè potuum genera glacie, aut nive refrigerare ſolent, in ſubſidium adverſus aëris æſtum, ſæpe Chocolatam glacie refrigeratam bibunt, quæ quidem palato potiùs, quam valetudini conveniens eſt. In eoque differt à Caffè aut Thé potu, qui frigidè hauſtus nullo modo gratus eſt. Vulgaris quorundam noſtris in partibus Chocolatam præparandi modus, ſequens eſt: In cucumam ad ignem totidem aquæ crateres, quot ſunt, qui potare cupiunt, immittuntur; & ubi bullire incipit, Chocolatæ uncia una & quadrans, pro ſingulis crateribus in pulverem redactæ, injicitur cum uncia ſacchari, ſubitòque ligno agitatur ſuper ignem, donec probè ſpumeſcat, ſpuma crateri immittitur, & agitatur denuò tamdiu decoctum, donec ferè totum in ſpumam illam abeat, & ſic calidiſſime ſorbetur. Sunt, qui ante ejus potum aquæ frigidæ hauſtum ſumunt, aut panem biſcoctum intingunt in Chocolatam, iſtúmque commedunt, ac magis ſucculentum poſtea ſorbent. Chocolatæ verò, ſi ex præſtantiſſimis non fuerit, doſis augeri, ſaccharumvè pro lubitu minui, aut augeri poteſt:

Qui voluptati potiùs, quàm ſanitati conſulunt, guttas aliquot ambari gryſei, vel ſimile quid ſupperaddunt, quod guſtui & odori gratum eſt. Sunt & qui ſaccharo

Ægyptiacum ſorbetum, aut aquæ lac cum vitello ovi, ſubſtituunt, palati potiùs irritamenta, quàm ſanitatis ſolatia.

Quoad bonæ Chocolatæ electionem, plus in hoc paſſu experientiæ, quàm verbis dandum eſt. Forma paſtillorum nihil huc confert; parantur enim longi, rotundi, quadrati, majoribus aut minoribus fruſtis, ne quis putet, hic nodum in ſcirpo quærere. At non exigui eſt momenti obſervare, ne mucidum oleat, nevé ſit vetuſtior, quod dignoſcitur ſæpe, ubi vermiculis perforata cernitur, maſticando eam nihil diſplicens habere debet, neque aromaticas ſpecies nimis ſapiat. Verùm id ſi liceat, dignoſcere unam ab altera non erit difficile, præcipuè ſi quis optimam aliâs ſolitus fuit potare.

Quod concernit Crateres, quibus ad huncce potum utuntur Americani, & curioſi Europæi, eos uſurpant, qui ex nuce *cocos* ſunt fabricati, non tantùm, quia forma & magnitudo commodæ, verùm, quia margines non ita facilè incaleſcunt, ut labia adurere queant, ſicut fit in argento, aut ſtanno. Hi crateres indigenâ Americanorum linguâ *Tecometes* vocantur: alij quoque parant ex fructu Hiſpanis *Higuero* dicto: magna eſt arbor, cujus folia *Moro* magnitudine & formâ ſimilia ſunt, fructuſque

que inſtar citrullorum ferens. De palmis cociferis nihil dicam, cùm â multis A. A. jam deſcriptæ fuerint. In horum verò defectu, crateribus porcellanijs aut Faëntinis uti licet. In forma ſolida *Chocolata* uſurpari quoque poteſt; ex eâ enim fiunt tragemata ſaccharata, bis cocta, Maſſæpanes, aliæque cupediæ, ſi non ſanitati adeò utiles, ſaltem æquè ferè, ac in liquore, pergratæ palato.

Si Chocolata ſanitatis gratiâ duntaxat bibitur, duæ vices ſingulis diebus ad ſummum, & potiùs horis matutinis, quam pomeridianis ſufficiant. Bilioſi, loco aquæ communis, cum aqua Endiviæ, præcipuè æſtate ſumere poſſunt; ſic intemperiei corporis calidæ non erit contemnendum præſidium, obſtructionibus verò cum tinct. Rhabarb. uſque ad Menſem Majum extendi poteſt ejus uſus, temperato præſertim aëre: Econtra improbat ejus uſum diebus canicularibus, ſæpiùs laudatus *Colmenero*, concedit tamen ijs, qui ita huic potui aſſueti ſunt, ut nullam inde noxam percipere queant: *ſi*, inquit, *Chocolata quis opus habeat diebus Canicularibus, ſitque temperamento calido præditus, eam paret cum aqua Endiv. ſingulis quatuor diebus, præſertim ſi laboret ſtomachi debilitate; quanquam verò in America o-*

mni tempore aſſumatur, fierique in Hiſpania poſſit. Dandum autem eſt primò id conſuetudini, ſecundo illius regionis calori extremo, quo cum excedente humiditate conjuncto, pori aperiuntur, magnaque fit ſubſtantiæ corporis diſſipatio ita, ut non ſolum manè, ſed quâvis horâ & tempeſtate tutò uſurpari queat. Quia verò â caloris extremi exceſſu naturalis corporis calor diſſipatur ac exhalat, ſtomachi verò & aliorum viſcerum calor ad peripheriam corporis fertur, ventriculus admodum debilitatur, ita ut non ſolùm ex Chocolata, quæ, ùt diximus moderatè calefacit, ſed etiam ex vino puro utilitatem reperiant, ac ſtomachum roborent iſti Americæ incolæ. Si verò æſtibus perdurantibus aquam potent, non parvam ex eâ noxam perſentiunt, imminutâ aut depravatâ alimentorum coctione, aliiſque exinde accerſitis morbis. Notandum etiam terreſtriorem cacao ſubſtantiam crateris fundum petere, ubi ejus potus paratur, & ſunt, qui exiſtimant, id maximè alimentoſum ſimul eſſe hauriendum, quod tamen ſine præjudicio & noxa fieri non poteſt, cùm pars hæc craſſa, terreſtris & obſtruens, melancholicum generet ſuccum, aliaque pariat incommoda: eam igitur vitet, qui ſanita-

tis

tis ſuæ Curam habere voluerit , reliquâ parte ſucculenta contentus.

SECTIO II.

De Fructûs Cacaos analyſi , ſimulque de qualitatibus ex Chocolatæ ingredientium mixtione reſultantibus , ac quibus in affectibus conveniat , ſeu de ejus Uſu.

§. I.

PErſcrutati ſumus in præcedenti ſectione ſingulorum Chocolatæ ingredientium qualitates : ſed ut nihil de eâ intactum relinquam, penitiusque ipſa cognoſcatur, ejus principalioris ingredientis, nimirum fructûs *Cacaos* principia explicare, atque apud tribunal chymicum per torturam Vulcani examinare, nec non ipſius analyſin experiri animus eſt, priuſquam de Chocolatæ qualitatibus quidquam ſum dicturus : ſpagyricam ergò nucum *Cacaos* analyſin nobis demonſtrat J. *Rajus* ſequenti modo. Nucleorum *Cacao* non decorticatorum unciæ 8. in pulverem comminutæ , & retortæ inditæ, ſubſtantiæ adeò fixæ & difficulter intra ſe eſſe prodiderunt , ut modicâ ignis vi nihil redderent, præter album quendam liquorem, aquæ inſtar clarum & pellucidum, idque in pauca quantitate, quem pro phlegmate habuerunt ; aucto igne ad eum uſque

que gradum , qui ſpiritui vitrioli eliciendo ſufficit, 17. horarum ſpatio elevatus eſt ſpiritus vaporum ſpecie lactei candoris , qui præter aliorum ſpirituum morem, in phlegmate ſubſidit ad fundum vaſis recipientis; tandem adhibito igne vehementiſſimo reverberij , in vegetabilium deſtillationibus minùs uſitato , aſcendit oleum intensé rubicundum & velut ſanguineum, ſed pellucidum valde, quod refrigeratum, craſſeſcit inſtar olei ſeu butyri, aut ceræ. Deſtillatione peractâ , caput mortuum unc. ij. & ʒvij. pendere deprehendebatur, ſpiritus non admodum fervidus erat, ſed penetrantiſſimus , néc guſtui , nec olfactui ingratus, quemadmodum eſſe ſolent è ſanguine aut carnibus eliciti ; oleum pariter mirificè pungit & penetrat ſale ſuo volatili , cujus magnam quantitatem continet, nondum ſeparato, eſtque valde aromaticum & cardiacum, ſpiritus brevi aceſcit , quo ſe acetum copioſum continere prodit : atque hâc duntaxat analyſi ſeparari potuerunt , quæ quamvis adeo ſimplicia videantur, ijs tamen, quæ deinceps de ejus effectibus dicturus ſum , fundamenti loco eſſe debent. His ita poſitis Chocolatæ proprietates, ejuſque rationes faciliùs comprehendentur , neque me quis temerè accuſet, ſi vires ejus altiùs extulero.

Aſt

Aſt dubium eſſe poteſt, quænam ergò qualitas ex eorum mixtione reſultet, ac prædominetur? vi cujus hujuſce compoſitionis uſus, ſanitatem nobis promittere poteſt. *Calida quidem*, inquit Colmenero, *omnia ferè ejus ingredientia obſervantur; unde totam eſſe calidam, quis non putabit? ſed animadvertendum*, cacao, *aliorum omnium quantitatem in ea ſuperare, quòd cùm ſummè frigidum ſit, alia concomitantia ingredientia, frigidas, terreſtésque partes* cacao *duntaxat corrigunt. Sicut igitur duo medicamenta contrariæ qualitatis, ſuâ mixtione temperatam compoſitionem efficiunt, ita actione & reactione frigidarum* cacao *particularum, & aliorum calidorum ingredientium*, Chocolata *temperatam qualitatem, à medio parùm diſſitam, obtinet. Aſſeri ergò poteſt, ſi præcipuè piper & caryophylli eximantur, merè temperatam eſſe, uti experientiâ & ratione probari poteſt. Experientiâ enim, ſupponendo cum* Galeno, *omne temperatum medicamentum frigida calefacere, & calida refrigerare, ùt aqua tepida frigidam calefacit, calidam refrigerat; patet, & conſtat, quà ratione Chocolata, ùt fertur, ſtomachum frigidum calefaciat, calidùmque refrigeret.*

Hoc

Hoc in ſe ipſo expertum eſſe teſtatur idem Author: dum enim ex ægrorum viſitatione excalefactus redibat, indigenarum perſuaſione adductus, Chocolatæ craterem hauriebat, quo ſitim temperari & refrigerari in ſe perſentiebat. Econtra verò, ubi matutino tempore chyli reliquiæ crudæ indigeſtæque eum debilitabant, & infrigidabant, ab eodem potu manifeſtè ſtomachum roboratum & calefactum ſentiebat. Sic experientiâ conſtat ab illius uſu, omnis ſexûs ac ætatis, temperamentique oppoſiti plurimos bene ſe habere, indicio qualitates in ijs prædominantes non augeri, quod augmentum aliàs teſte *Hippocrate* morborum eſt ſcaturigo.

Tandem ut experientiæ ratio in ſubſidium veniat, notandum, omnes *cacao* partes non eſſe frigidas, ſed non paucas butyroſas, ſulphureas ac inflammabiles, conſequenter calidas, frigidis vix mediam partem conſtituentibus; unde accidit, quod & aliorum calidorum ingredientium permixtione, compoſitum confletur temperatum. Omne quippe agens, teſte Ariſtotele, æquè ac patiens patitur, ferrum ſecans ſecando obtunditur, res calefaciens calefaciendo refrigeratur, pellensque pellendo repellitur: ita idem hoc in caſu evenit. *Inde concludo, ſubdit* Colmenero, *melius eſſe, ſi Chocola-*

colatâ utamur elapſo aliquo , poſtquam confecta eſt tempore , poſt unum , v. g. menſem, quàm recenter paratâ. Videtur enim hoc tempus neceſſarium eſſe, ut debilitentur ingredientium qualitates, & mediam obtineant temperiem. Sic Galenus philonio uti ante ſex menſes verebatur, quod ex opio, pipere, alijsve oppoſitis concinnabatur. Et quidem experti ſunt non pauci, â Chocolatæ recentis uſu malè ſe habere, & ſtomachum laxari, eò quod cacao pingues & butyroſæ partes, à terreſtribus nondum victæ & correctæ eſſent. Et ratio ſuadet, ſi enim butyroſum ſolum bibatur, etſi jam Chocolata vetuſta ſit, ſtomachum relaxat, non ſecùs ac recens adhuc eſſet. Tandem ergò patet, Chocolatam non ita frigidam eſſe ac *cacao* , nec ita calidam, ùt alia ingredientia, ſed actione & reactione moderatam ipſi temperiem conciliari, ſtomacho calido & frigido æquè commodam, modò mediocri quantitate, & menſtruæ ſumatur ætatis.

§. 2. Quoniam Medicina varia eſculenta & potulenta , pro varijs affectibus aut admittere aut prohiberc ſolet , proinde quibus apta & noxia eſſe poſſit Chocolata, ſilentio prætereundum non eſt , cùm plurimi Chocolatâ potiùs ex conſuetudine & ob delicias , quàm morbi curandi aut præſer-

van-

vandi cauſâ utantur. Quia autem pauca nobis ſuppetunt hucuſque experimenta, quibus ejus vis fulciri poſſet, brevior etiam ero, & principaliores tantùm Chocolatæ virtutes paucis adducere conabor.

Et *primò* quidem, cum hujus Compoſitionis præcipua ingredientia ſint ſtomachica, ùt ſupra inſinuavi, ſequitur neceſſariò, hanc ipſi ineſſe qualitatem. Ergò qui ſtomachum à colicâ, diarrhœâ, flatibus aut hypercatharſi exhauſtum habet, utilem ſibi hunc potum experietur. Ideò frequentius in America, quam in Europa uſurpatur, quòd ibidem ſtomachi debilitas eſt frequentior, *Quod me attinet*, inquit Thomas Gage, *per duodecim annos continuò Chocolatâ uſus ſum, ſummo manè cyathum unum hauriendo, alterum horâ nonâ aut decimâ, tertium horâ unâ aut alterâ poſt prandium, ultimum quartâ aut quintâ pomeridiana; ſed cùm veſpertinis horis ſtudio incumbere volebam, alium ſeptimâ aut octavâ ſumebam, quo facilè ſtudium ad horam noctis duodecimam prorogabam. Si verò prædictis horis, caſu aut negligentiâ, ejus uſum omittebam, tunc ſtomachi debilitatem ſenſi, & quaſi cardialgiâ tentabar. Et hoc pacto per annos illos duodecim firmâ valetudine gaudebam, ab obſtructionibus, &* *febri*

ſebri, omnique alio affectu immunis; alijs tamen nolim eandem, quam mihi normam præſcribere, nec Medici vices agendo, potûs hujuſce doſin ac tempus præſcribere, multò minùs temperamenta, morbóſque quibus conveniat, definire.

At nè vanâ curationis ſpe deludatur quiſpiam, ſciendum, per ſtomachi debilitates, in quibus hic potus convenit, intelligi eas, quæ ab inanitione & defectu procedunt, ſive parùm nutrientia, qualia in America alimenta ſunt; ſive corpus & ſtomachum evacuatio aliqua exhauſerit, ſivè aër nimiùm ſubtilis, aſſumpta alimenta juſtò citius diſſipaverit, ùt in regionibus frigidis ac montànis, in quibus ſemper viget appetitus, accidere ſolet: ſecùs autem non.

IIdò : Omnes fermè verbi divini Prædicatores, aut alij Oratores, ab ejus uſu, ſive ante, ſive poſt ſermonem, optimè ſe habebunt; etenim ante ſermonem, pectoris & vocis vires diutiùs, quàm juſculum ſuſtinet: poſt verò, exhauſtas corporis vires reparat. Convenit & iter facientibus, ideò in Americæ itinerarijs, familiarem illius eſſe uſum peregrinantibus, legimus, & quidem manè, antequam itineri ſe committant, & veſperi, abſoluto diei penſo.

IIItiò : Tuſſi & Aſthmati medetur, ſitim mirum in modum reſtinguit, diaphoretica

etiam eſt & ſudorifera, ſomnum inducit placidum & tranquillum, adeò vires reficit & reſtaurat, ut ſatis commodè abſque ullo alio alimento, bis in die hauſta, vita protrahi poſſit. Labore immoderato defeſſos & exhauſtos, mirificè recreat. Cuicunque reſtitutioni & corporis temperamento convenit, & ſine periculo ſumi poteſt à quovis ſexu, ætate, conſtitutione, etiam non adeò obſervatâ exactâ doſi, modò ad ſacietatem ſumpta, non nimiùm gravet ventriculum, aut aliæ circumſtantiæ contraindicent & prohibeant. Obſervandum autem eſt, quod poſt ſumptam potionem, ſemi-horæ aut horæ integræ ſpatio, quieſcere oporteat, & à labore ceſſandum ſit, ne concoctio impediatur & turbetur: à cibo etiam aliquamdiu abſtinere convenit. Ut verbô abſolvam, totum cardiacum eſt & analepticum egregium, potio hæc verè nectarea, multi & optimi nutrimenti pabulum, inquit *Hugheſius*, & ſuperat aliud quodvis alimentum, præſertim intra limites Zonæ torridæ, corpus reficiendo, & roborando; quin & ſummè commendatur (inquit *Schröderus*) ad roborandum vitæ balſamum. Revera omnium, qui aliquamdiu in America vixêre, unanimi conſenſu & teſtimonio, ſaluberrimus eſt ijs regionibus Chocolatæ potus, adeòque neceſſarius incolis, &

& advenis, ut ægrè ſine eo vitam proroga-re, nedum labores ſuos obire poſſent. Per experientiam itaque plurimi Practicorum ſæpius obſervârunt, Hecticis, ſcorbuticis, catarrhoſis, atrophiâ, ſcabie malignâ, item tuſſi ferinâ laborantibus, Chocolatam, quaſi divinum & miraculoſum remedium extitiſſe, imò ad iſtam, in morbis modo enarratis, alijs nihil proficientibus remedijs, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe, conſtanter recommendant. Omnibus igitur in morbis, in quibus ſal acre, ſive ſit vel bilioſum, vel acidum, vel auſterum aut muriaticum, tanquam cauſa morbifera accuſatur, miſerè decumbentibus, ſolamen & levamen afferre poterit. Ex quorum numero non excludimus luem veneream, guttam roſaceam, podagram, & arthritidem vagam.

MEDICI aliàs etiam ad varios morbos Chocolatam accomodant, medicamentis ſcopo ſuo convenientibus admixtis, v. g. ad fluxus alvi ſiſtendos, nucè moſchatâ, aut limaturæ martis tantillo, ad tuſſim & raucedinem, amygdalis, earumque oleo, ſaccharo cando &c.

D. *Quatremain*, Medicus famoſus, Hæmorrhoides, ſeu ficus ani, in ſe ipſo curavit, partes affectas butyro nucis *cacao* inungendo. Phthyſicus ferè deploratus,

robori ſuo & ſanitati reſtitutus erat, præter omnem ſpem, â quotidiano uſu nucum *cacao*, ſeu potionis Chocolatæ, D. *Mundy* teſte. Item Chocolata ſenibus ac decrepitis quam maximè proficua eſt: *Sic novimus*, inquit celeberrimus *Mangetus*, in Biblioth. pharm. l. 3. pag. 444. *octogenarium, conſtitutionis naturâ debiloris, qui loco omnis alterius alimenti, per tres integros annos, Chocolatâ cum ovi vitello in aliquot juſculi carnium cochlearibus diſſolutâ, utebatur, eaque in totali aliorum ciborum averſione; & vitam & vires, quas maxima caducitas ſperare permittebat, prorogavit. Sic & hodie alium adhuc ſuperſtitem habemus nonagenarium, qui Chocolatæ uſui firmam ſatis valetudinem; quamvis cum memoriæ propé deperditione, præcipué debet.* Et hæc ſunt, quæ de principaliori Chocolatæ Uſu & Naturâ invenire, ac innuere potui.

SECTIO III.
Quibus in caſibus Chocolata noceat, ſeu de ejus Abuſu.

§. I.

CONtraria juxta ſe poſita magis eluceſcere, frequens eſt in ſcholis axioma; neque omnia omnibus conveniunt, ſed huic mel, alteri fel, uni prodeſſe, alteri nocere vi-

videmus ! imò nihil eſt tam jucundum, tam perfectum, quod non ſuas patiatur manes. Cúm itaque hactenus de uſu Chocolatæ abundè dictum ſit, paucis etiam ejus abuſus reſtat inveſtigandus, præterea quibus noceat, videndum. De exceſſivo & periculoſo Chocolatæ abuſu, hæcce verba altâ mente repoſuit *Thomas Gage : obſervavi*, ait, *tantùm ab eo* (nimirum Chocolatæ potu,) *malè habuiſſe quosdam, vel quia ſacchari nimium admiſcebant, quod ſtomachum relaxat, vel quia nimiâ copiâ eam propinare ſolebant : at ſanè non ſolùm Chocolata, ſed alij omnes liquores, quod ſi nimis potentur, quamvis alias optimi, noxij penitùs evadunt ; ergò ſi ab ejus uſu obſtructiones natæ ſunt, id ab aſſumptâ ejus copiâ evenit. Sicuti enim, cùm vinum plus nimio potetur, non amplius roborat & calefacit, ſed frigidos morbos generat, naturâ illud vincere non valente ; ita ſi Chocolatæ nimiæ quis indulgeat, pingues ac butyroſæ partes, quibus abundat, non ritè ubique per corpus diſtribuuntur, & neceſſario in capillaribus Epatis venis reſtitant, & tandem obſtructiones gignunt* : hæc ille. Et ſanè, Chocolata non ſolùm in illis, qui nimiam potant, obſtructiones generat, ſed etiam in quibuſvis jam ad obſtructiones diſpoſitis,

 va-

vaſaque lactea nimis exilia, depreſſa aut infarcta viſcido humore habentibus, in quibus terreſtres ejus partes reſtitant & obſtructionem augent. Itaque ab eâ abſtinere debent juvenculæ chloroſi laborantes, omneſque alij obſtructionibus affecti. Præterea omnes illi eam in copioſa quantitate ſumere non audent, qui laboribus planè nullis dediti, nec eorum corpora emaciata obſervantur, & vitam ſedentariam agere ſolent, præſertim etiam illi, quibus in fieri eſt obeſitas. Dudum ſæpius laudatus *Anton. Colmenero de Ledeſma* M. D. Profeſſ. tract. de Chocol. indic. Cap. 4. monuit ſequentibus verbis: *Natura ſuperfluam illam quantitatem vel expellere, vel in ſuam ſubſtantiam tranſvertere nequit, præterea, ſi quis nimium Chocolatæ biberit, tanta ejus quantitas per totum ſubjectum æqualiter diſtribui haud poteſt, partes ejus quippe pinguiores, ſi craſſioribus Epatis venis adhæſerint, fieri nequit, quin illæ conſtipatæ penitus obſtruantur: quapropter ne tale contingat, quinque vel ſex Chocolatæ uncias ebibi poſſe ſtatuo, manè quidem ſub aurorам.*

§. II. Exceſſivum pariter *Chocolatæ* potum, ad generationem calculorum, præcipuè veſiculæ felleæ, multùm quoque contri-

tribuiſſe, quamplurimorum præſtantiſſimorum Practicorum obſervationes atteſtantur. Sic Pariſiis, teſte *Carolo Sponio*, apertum eſt cadaver cujusdam viri, qui nimiùm Chocolatæ indulgebat, in quo reperti ſunt in fellis cyſtide ultra viginti calculi, quos non immeritò hujuſce liberalioris potûs ſoboles eſſe putarunt. Ejuſmodi caſûs obſervationes calculorum tam in cyſtide fellea, quàm in veſica urinaria, ab exceſſivo dulcium, præcipuè autem Chocolatæ uſu generatorum, memini me ſæpius audiviſſe inColleg.Public. *â Perill.Clariſſ.Excell.D.D. LöW, Equite ab Erlsfeld &c. Praxeos Profeſſ. in Facult. Med. Pragenſ.primario*, Calculoſque plurimos, ex dulcibus & Chocolata genitos, in Muſæo ſuo aſſervatos cuique, obvio & curioſo oſtendit.

§. III. Nec minorem tragicum *Chocolata* eventum relinquit in debilitatibus Ventriculi, quæ ortum ducunt â chylo corrupto, crudis indigeſtiſque humoribus in ſtomacho ſtabulantibus, qui quidem non ſolum appetitum minuendo, functionem ejus debilitant, ſed etiam exitum quærentes, qua datâ portâ per diarrhœam & vomitum excluduntur, aut cardialgiam & vomituritionem excitant, in hoc inquam caſu, peſſimum eſt remedium Chocolata; cùm enim glutinoſa & butyroſa ſit, hiſce

viſcidis humoribus permixta, fermenti eſurini activitatem magis adhuc obtundit, ejuſque ſymptomota auget. *Ægrotum in ſimili ſtatu verſantem audivi*, inquit prælaudatus Carol. Sponius, *ſe, cùm amici cujusdam ſuaſu binos Chocolatæ crateres hauſiſſet, in pejus iviſſe, donec intra decem aut duodecim dies, ſuperveniente bilioſorum & viſcidorum humorum vomitu, tandem veluti calcem quandam Chocolatam redolentem evomuiſſet, quæ in ventriculi fundo indigeſta totidem diebus latebat*. Eodem modo, ſi colicus dolor ex ſubtilibus, bilioſis, acribus, inteſtinaque erodentibus humoribus oriatur, Chocolatæ aliquot cyathi eos attemperare & obtundere poſſunt; verùm ſi â pituita vitrea inteſtinorum parietibus agglutinata, originem ducat, aliud omninò, quam Chocolata, uſurpandum videtur præſidium.

§. IV. Quoniam Chocolatæ compoſitioni magna ſacchari copia ſubingreditur, cum mulieribus, uterinis affectibus laborantibus, cautè mercandum eſt, ne ſerò ſapiant Phryges: etenim omnia ſaccharata Hyſtericis ſunt adverſa, ſimiliter cacochymicis, Hypochondriacis, acidis, bilioſis, fermenteſcibilibus humoribus ac halitibus fœtis; unde qui paulò ante quieti, fluctus ac turbas acquirunt, & paroxymos excitant;

tant ; attamen id in alijs magis, in alijs minus obſervatur. Idem verò in alijs paroxyſmantibus morbis obſervari debet, nominatim Epilepſiâ, & motibus convulſivis, qui â dulcibus facilè exaſperantur & excitantur: adeòque Chocolata in febribus, alvi fluxibus, & torminibus, item capite dolentibus, propriè non habet locum, quatenus effervefcentiam inducit majorem, humoreſque magis turbat. Quod autem dulcia & ſuaveolentia ſuffocationem uteri inducant, Vid. *Jo.Theod.Schenckij ſyntagm.* de comp. Med. pag. 121. & 122.

Ut verò hæc concludamus, ad complures ejuſmodi affectus præſtandos, diverſitas ætatis, temperamenti, coctionis, ſubjectorum, plurimùm confert, adeò quidem, ut in alijs obſtruat, in alijs aceſcat, & ſuffocationem uteri iuducat, in alijs alia magis cauſet, in ſe aliàs temperata & innoxia: Quemadmodum enim victus ipſe non unus omnibus prodeſt, cùm quibusdam plenus, alijs attenuans magis conferat; ita idem ſentiendum de Chocolatâ, & hinc adducta hactenus nihil ipſi derogant, moderatum enim uſum nullatenus improbare volumus, dummodo modicè, decenter, debitâ cautela, & ratione adhibeatur, imò detrimentum, quod aliquando affert, probat invictè ejus emolumentum, ubi corpus in ſtatu verſatur oppoſito.

DE HERBA THEE, ANACRISIS.

SECTIO I.

De Herbæ Thèe origine, Naturâ, loco, delectu, ejuſque præparatione.

§. I.

EXaminatâ atque perluſtratâ Caffé & Chocolatœ naturâ, herbam Thèe nunc aggredimur; ut enim Arabiæ Caffé, Americæ Chocolatam, ita & Chinæ Thèe debemus: ejusdem ferè cum Caffè eſt amaritudinis, eodem penè tempore Europæis innotuerunt; ambo calida aſſumuntur, experientiaque ac diverſa A. A. ſcripta, eoſdem ferè effectus ijs tribuunt. Notabilis tamen hæc interea intercedit differentia, quod Caffé granum, Thèe verò folium ſit. Pari utar methodo in ejus natura, facultatibus, uſu, atque abuſu exponendis. *Thée* ergò Folium eſt, in China & Japonia naſcens: Chinenſibus *Thèe*, ſivè *Tſia*, Japonenſibus, ùt & Indis *Cha* aut *Tcha*, Tartaris ac Perſis *Tay* vel *Tzay*, Sinenſibus *Thea Buu*, Europæis denique *Thèe* audit. In Aſiam & Europam ferendum ſiccatur. Frutex folia hæc ferens, ita obiter â Botanicis cognita eſt, ut prudentiæ interſit docere, quæ

quæ â peregrinantibus illas terras habentur, antequam opinionem noſtram proferamus.

R. P. de *Rhodes*, in itineribus ſuis typis datis, hanc deſcriptionem inſtituit. *Thèe folium eſt, magnitudinis folii arboris punicæ, in fruticibus provenit Bruſco ſimilibus: duæ in China duntaxat provinciæ, ei natale ſolum miniſtrant, prima eſt* Nanquin, *ubi* Thée *naſcitur præſtantius, Cha dictum, altera verò* Chicheau. *Folij iſtius collectio non minori, ac vindemiæ noſtræ, curâ perficitur. In tanta ibi ſuccreſcit copia, ut ſuppeditetur cæteris provinciis* Chinæ, Japoniæ, Tunquino, Cochinchinæ, *regionibuſque alijs, in quibus ita viget uſus Thèe, ut temperatiſſimiter ſaltem ſingulis diebus, imò plurimi decies aut duodeciès, vel ut veriùs dicam, ſingulis horis id hauriant. Folium hoc collectum, in fornace bene ſiccandum curant, vaſiſque ſtanneis bene occluſis poſtea includunt, quoniam expoſitum aëri omnes, veluti vinum, vires amittit.*

Tulpius, famoſus Medicus Amſtelodamenſis, in ſuis obſervationibus, lib. 4. cap. 59. de herba hæc fatur: *Nihil Indis eſt frequentius, quàm potus confectus decoctione Plantæ, Chinenſibus* Thée, *Japonenſibus verò* Tchia *dicta, cujus omnia, quorum ab ipſis regionum illarum primatoribus*

bus accepi notitiam, poſteritati conſecrare non deero. Hnic igitur plantæ ſicut folia ſunt longiuſcula, & denticulata, ita alibi quoque radices habet fibroſas & in parvulas particulas diſtinctas, neque in China *tantùm &* Japonia *latè ſuccreſcit, ſed & in* Chiam *aut* Siam *: hæc interim intercedit differentia, quod folia in* China *coloris ſint ex viridi-fuſco ad nigrum accedentis, ea verò, quæ in* Japonia, *quoad viriditatem ſint magis pallida, ſaporeque jucundiora, quo fit etiam, ut* Tchia *Japoniæ pluris æſtimetur, quam* Thée *Chinenſium, ita ut ſæpe numero* Tchia *centum francis libram venundent.*

Videntur A. A. iſti differre aliquomodo opinionibus, ſiquidem *Nieuhofius*, in relatione legationis ad Chinam, duos tantum regiones folij hujus feraces adſtruat, & in contrarium abit R. P. de *Rhodes*, *id* in Japonia quoque creſcere ajens : ſcribit verò *Tulpius*, eô & *Siam* gaudere, ſed parùm hoc referret, modo cuinam plantæ ſpeciei Thée annumerandum conſtaret, quod ſcitu difficilè videtur, quum non niſi folium ſiccum, abſque ſemine, flore, aut radice, hucuſque allatum cernimus. *Nieuhofius* inter ſpecies Sumach collocare videtur, quæ frutex in regionibus iſtis haud ignota. *Caſpar Bauhinus, in pinace*, ſpeciebus Fœniculi

culi id annumerat. *Bontius*, Thée parvam dicit herbulam, cujus folia denticulata, Conſolidam minorem referunt. *Sim. Pauli*, in tract. de abuſu Tabaci & Thée; poſtremum iſtud non *Chinæ* tantùm & *Japoniæ* deberi, ſed plantam eſſe in univerſa Europa cognitam contendit, eam nempe quæ latinis *Chamelæagnus*, aut *Myrtus Brabantica*. Gallis *Piment Royal* dicitur; pauci verò in ejus ſententiam iverunt, quoniam, ut planta ad certam ſpeciem redigatur, non ſufficit, folia ejus exteriora conſideraſſe; ſed penitius tota quanta perſcrutanda eſt.

Dubitatur quidem â plurimis Authorum noſtratum, num frutex, aut tantùm planta ſit Chinenſium *Thée*: ſunt, qui exiſtimant, herbam eſſe mediocrem; ſiquidem folia ejus tenuia & odorifera ſunt, ſuaſque vires facilimè exuant & impertiant infuſioni: verùm ijs ſtandum cenſeo, qui inibi locorum verſati ſunt, quique *Thée* fruticem eſſe aſſerunt, & ita depingunt.

Ex his ergò, alijſque Autorum deſcriptionibus patet, quod Arbuſcula ſeu Frutex Foliorum Thée, truncum & ſtipidem habeat, ſtatim ferè â radice copioſisſimis ſurculis præditum, cujus ligni ſubſtantia perdura, ſubtilique proviſa eſt cortice, foliorum magnitudo, cæteraque eorum ſtructura,

ctura, ceraſorum acidum proximè fere adæquat folijs: Flores tempore autumnali immediatè infra folia creſcunt, brevi in petiolo, atque ex ſex albis conſiſtunt foliolis, unà cum ingrato odore amaroque ſapore, ex quibus tandem emergit fructus, *capſulis ſeminalibus Ricini Americani* haud abſimilis, ita ut duo, tres, ad magnitudinem prunor. ſylveſt. in uno pendeant petiolo: diſrupto denique exteriori cortice, rotunda, parvaque nux excidit; tenui caſtanearum adinſtar pelliculâ circumcincta; nucleus verò in ſe reperitur albus, ſubdulcem primò, tandem oleoſum & ingratum producens ſaporem, qui una cum floribus ipſis Incolis nullius de facto erat utilitatis. Quod autem concernit ipſius plantationem; ſic illa ex ejus contingit ſemine ita, ut hæ arbuſculæ ſeu frutices in Japonia, â potiori, circa agrorum ſulcos paulò remotius â ſe invicem plantari ſoleant: ſemen autem ipſum, occluſo adhuc exteriori cortice, in profundum ſeſquipedis terræ infoditur, ita ut 6. ad 12. nuces adminimum collocentur adinvicem; quamprimum verò prorumpere & germinare incipiunt, frutex ſtatim fimo equino circumponitur. Præterlapſis ergò tribus annis, folia primâ vice, & quidem ſat copioſè colliguntur, quæ præſtantiſſimum conſtituunt

tuunt Thée. Frutex autem, ab octavo uſque ad decimum annum, magnitudinem ferè adulti hominis adipiſcitur, quoniam enim tunc temporis ſecundum ſuam proportionem pauca, & quidem dura progignit folia, ab incolis amputatur, vi cujus denuò novi propullulant, è radice ſurculi copioſiora producentes folia. Prima foliorum collectio ante Æquinoctium vernale, per ſpeciales huic muneri propriè deſtinatas perſonas contingit, & licet in hac collectione pauciſſima obtineantur folia, nihilominus tamen, quoniam recentia & non ita dilatata, optima & præſtantiſſima ſunt, ac potius ſolis Magnatibus & ditiſſimis ſerviunt: hinc etiam in Japonia *Thée Imperiale*, Kayſer-Thee / & in Sina *Thea Buu* appellitatur; (notandum hic eſt, ne *Thea Buu* â Sinenſibus ſic dictum, cum *Thè Boye* ſeu Thée rubro confundatur, etenim Thée rubrum non adeò diu in his regionibus cognitum, planè ſub aliâ celebratur ſpecie, ac minoris eſt pretij & efficaciæ, utpote magis in ſe continet particulas terreſtres, minuſque volatiles, hinc diutius in infuſione permitti oportet, quèm Thée viride, nec ita jucundi eſt ſaporis, & ſubrubrum communicat aquæ colorem; hoc autem omne Thée viride Imperiale contrarium habet, utrum verò terminus *Thée Boye* magis

gis propriè competeret Thée rubro , vel Thée illi Imperiali Japonenſi ſeu Sinenſi? ſub judice lis eſt, & potius illis, qui majorem de hâc re habent notitiam, pro deciſione relinquo.) Altera, inquam, collectio peragitur Menſe Aprili: Tertia & ultima verò Menſe Majo tota abſolvitur, quæ quidem copioſiora, quâm in duabus prioribus folia largitur, ſed non tam bona, atque ſolummodo pro pauperibus aſſervantur. Triplex hæc foliorum Thée collectionis ſpecies & claſſis, varia ſortitur nomina; ſic prima collectionis claſſis præcipuè in Japonia Thée farinaceum; altera Thée ſinenſe; tertia Thée ordinarium, & tandem Thée commune vocatur. De prima claſſe; conſtat in loco unum *Kin* ſeu *Catti*, quod eſt $1\frac{1}{4}$. libr. Holland. 42 - 26. Imperial. de alijs autem Herbæ Thée ſpeciebus, prout variat ejus bonitas; ſic etiam ejus pretium magis minuſvè variat.

In China ejus uſus ita antiquus non videtur, ſiquidem in vetuſtis ipſorum libris, caracteres, qui nomen ejus exprimunt, nulli deprehenduntur, cùm tamen aliæ res omnes multis ab ævis ipſis cognitæ, caracteribus ſuis inſignentur. *Simon Pauli* ab eò tantùm tempore uſum inter ipſos invaluiſſe autumat, quo Schytæ regno potiebantur; quod evenit anno 1644. id tamen

parùm

parùm veroſimile eſt, cùm & ipſis Europæis jam ab hujus ſæculi initio innotuerit. Supra citatus *Bauhinus* ejus mentionem in ſuo pinace, edito anno 1623. facit, navigationique Batavorum, qui ex Japonia & China illud attulerant, propriè debetur; & obſervatu digna eſt earum in hoc negotio œconomia; hanc herbam enim numis præſentibus vix emunt, ſed mercibus ex Europa deportatis commutant, v. g. Salviâ, quâ deſtituitur ſolum Chinenſe: hanc proinde multis morbis, quibus Chinenſes ſunt obnoxii, medendis aptiſſimam deprædicant, & reapſe bene ex ejus uſu ſe habent, cujus cùm ſint perſuaſi, tum ob elogia, quibus eam cumulant Batavi, tum ob ejus utilitatem & vires experientiâ confirmatas, duas libras *Thée*, pro Salviæ unicâ, libenter dant.

§. II. Quibus autem Thée incorruptum aſſervandi animus eſt, ne ejus evaporet vis, caveant; hanc enim ſicut Caffé facillimè amittere poteſt. Hinc vaſis ſtanneis, optimè obturatis, includatur, ne videlicet vel humiditate corrumpatur, vel aëri expoſitum deſtruatur: modus verò præparandi Thée Chinenſibus uſitatus, referente Patre *de Rhodes*, ſequens eſt: *Aquam in vaſe terſo, & nitido coquunt, quæ dum fervescit, igne amovent, & juxta quantitatem aquæ, folioque fundum petente,*

potant infuſionem, tunc enim vires ſuas in aqua depoſuit, eamque colore ſubrubro tinxit, calidè quantum poſſunt ſorbillant, refrigeratum nullius momenti eſſe dicentes. Quod in fundo remanſit folium, etiam ſecundâ vice adhibere non ineptum eſt; ſed tunc cum aqua coquatur, neceſſe eſt. Japonenſibus, pergit idem, *alius præparandi modus eſt: illi enim redigunt in pulverem Thée, poſtea aquæ ferventi injectum, utrumque ſimul hauriunt. Num hicce ſumendi modus priori præſtet, neſcio; ego quidem ſemper, ſed ſalubrîter tamen uſurpavi eo modo, qui inter Chînenſes viget: utrique ad deliniendam ipſius acrimoniam, quam tamen non injucundam habet, ſacchari aliquantulum cum Thée permiſcent.*

In Perſia, aliquando præparando Thée, paululum aniſi aut fœniculi, aliquotvè caryophyllos, injici, refert *Olearius*, in ſuo itinere Perſico.

§. III. Cæterùm juxtâ has obſervationes & quotidianam experientiam, pro duobus crateribus conficiendis, ſume ſextarium aquæ in cucuma argentea, vel cupreâ ſtanno obductâ, aut terreâ vernice illitâ; huic aquæ ferventi drachma circiter foliorum injiciatur, eodemque tempore cucumam igne amovendo, per quadrantem horæ coaper-

apertam ſine ; donec folium fundum petierit & aqua colore debito imbuta videatur: Tunc in porcellanios aut faventinos crateres ſenſim effundatur , injecto ſaccharo communi aut cando , ad magnitudinem avellanæ ; aut ſaccharum in ore teneatur, ùt Indi aſſolent, calidiſſimum, & repetitis hauſtibus potetur, ſive ſorbilletur.

Stomacho jejuno, aut ſtatim â menſa, & quandocunque ſuo modo placuerit, juxta diverſum uniuſcujuſque ſcopum, Thée ſumi poterit : ſic ad ſerenandos ſpiritus, jejuno ſtomacho hauriatur, ſi verò ad corroborandum ſtomachum juvandamque digeſtionem, ſtatim â menſa, vel quâcunque diei horâ, non tamen ſub nocte, ſi dormire quis cupiat. Vaſa ſunt Chinenſibus ex certâ quâdam bolo rubro, aut terrâ ſigillatâ confecta, in quibus infuſionem aptiùs perfici arbitrantur, referente *Patre Martinio.* Hoc vaſorum genus cùm nobis deſit, quæcunque vaſa adhiberi poſſunt, modò ingratum odorem vel ſaporem infuſioni non impertiant, & probè claudi poſſint. Thée non niſi eò tempore parandum eſt, quo quis potare illud intendit; infuſio enim ejus iteratò calefacta, præcipuas vires deperdit, memoriâ verò tenendum, quod diximus, eadem folia bis adhiberi poſſe, juxta modum â Patre *de Rhodes* obſerva-

tum ; ſunt qui ipſiſſima adhuc folia pluribus vicibus adhiberi poſſe contendunt, modò exſiccentur ; at certum eſt , poſt ſemel iteratam infuſionem , ne quidquam ultrò valere ; ſi verò quis omnem utilitatem Thée percipere voluerit, per modum acetarij ſerviet ſuperſtes folium , oleum & acetum ei adjiciendo , ſicuti mos eſt Batavis inter Indos degentibus.

D. D. *Tencke* , Profeſſor Monſpelienſis, in formulis ſuis medicinalibus, varios quoſdam modos ſumendi Thée refert , non ita vulgatos : *varijs* inquit *modis herba* Thée *adhibetur & aſſumitur.* Primò *quidem in ſubſtantia , quando ſiccata ad ſemidrachmam , aut drachmam integram , in cyatho aquæ tepidæ aſſumitur :* 2dò. *Decoctum herbæ ad drachmam & ſemis adjecto ſaccharo , ut jucundior ſit potio, & calidè ſorbillatur.* 3tiò *deſtillatur in B. M. cum aquis appropriatis.* 4tò *infuſa ad unciam & ſemis in aqua quadam cardiaca aut generoſo vino, cujus tria vel quatuor cochlearia ſorbentur, adjecto nonnihil ſacchari.* 5tò *ex ea experimuntur ſucci , quos in pilulas coaptant ad doſim granorum decem.* 6tò *denique adinſtar Tabaci attrahitur fumus , fiſtulis & ſiphunculis , & hoc modo capitis & pectoris morbis frigidis, nec non defluxionibus ad nares medetur.*

SE-

SECTIO II.

De recto herbæ Thée uſu, proprietatibus, & quibus morbis ejus exhibitio conducat.

§. I.

QUemadmodum in Arabica Faba, ita etiam in herba Thée duæ diverſæ obſervari poſſunt ſubſtantiæ, â quibus omnes dependent effectus, volatilis una & ſpirituoſa, odore ſuo ſuavi & jucundo ſe præbens; aquæ, cui infunditur, minimo calore comunicans; altera verò fixa & terreſtris, quæ animadvertitur in ſapore ſuo amaro, aſpero & adſtringenti: attamen hîc nulla torrefactio ad excitandos ſpiritus, eoſque è ſubſtantia terreſtri expediendos requiritur; ſol enim Parens ille plantarum, in folio iſto tenero, quod in grano Caffé ignis vis, efficit; ſufficienter quippe ſpiritus ejus infuſioni comunicandos elevat, phlegmaque citra miniſterium ignis pro neceſſitate diſſipat, ad amaritudinem procurandam parti terreſtri. Cæterum nihil æquè herbam Thée comendavit, ac ejus facultas ſomnum repellendi, vireſque longioribus vigiliis diſſipatas recolligendi: hinc tanto ſtudio â Principum miniſtris, Legatis, aliiſque gravibus Viris, qui negotiorum cauſâ ſomno abſtinere perſæpe co-

guntur , deſideratum & quæſitum fuit. Hunc ejus effectum jam â peregrinantibus toties deprædicatum experientia probat, dumodo Thée recens & electum aſſumatur.

Audiendus hîc erit ſupra laudatus P. *de Rhodes*, dum ait : *Thee â cœna aſſumptum, ſomnum ordinariè arcet, quem tamen nonnullis procurat, quoniam quum craſſiores tantùm vapores diſſipet, eos verò, qui ſomnum cauſant, relinquit. Quod me attinet*, (pergit idem ille) *ſæpiſſimè ſum expertus, ubi Chriſtianorum noſtrorum confeſſiones tota nocte audire mihi incumbebat, obrepebatque ſomnus, Thée eo ipſo momento hauſtum, integrâ nocte ſomnum fugabat, poſtridièque ac ſi more ſolito dormiiſſem, valebam. Semel id per hebdomadam ſine ullo incommodo, præſtare poteram; volui aliquando ſex noctibus continuis id tentare, at nocte ſexta viribus planè eram deſtitutus.*

Eodem modo aſſerit *Tulpius*, hujus herbæ potum inter alia, vi ſomnum avertendi pollere : *Thée*, inquit, *robur corporibus conciliat, præſervat â doloribus Calculi; ſiquidem in ijs, in quibus germinat locis, neminem huic obnoxium eſſe aſſerunt. Capitis præterea doloribus medetur, catarrho, oculorum & pectoris defluxionibus, aſthmati, ſtomachi debilitati, alvi tor-*

torminibus, laſſitudini & ſomno, quem ita evidenter reprimit, ut potu iſto utentes, integras interdum inſomnes tranſigant noctes: quia moderatè calefacit, & ſuperius ſtomachi orificium conſtringendo, frænat & impedit vapores, ad ſomnum neceſſarios, cerebrum petere, ita ut, qui noctes inſomnes ſtudendo aut meditando conſumere cupiunt, nihil inde patiantur incommodi.

Olearius, aliique multi viatores idem uno affirmant ore, præcipuè, quod facultatem ſomnum pellendi concernit; ratio in promptu eſt: ſomnus enim quies eſt ſenſuum externorum, ſive eorum ceſſatio ab operatione, ad ſpirituum jacturam reſtaurandam, viréſque recreandas: quieſcunt verò ſenſus externi ex eo, quod ſpiritus, qui motum ab objecto deferrent ad ſenſorium commune, in nervis deficiant: ex ratione, quia per ſubſtantiam corticalem cerebri non ſequeſtrantur in ſufficienti copia, idque imprimis, vel quia abſolutè deficiunt in M. S. v. g. poſt labores & defatigationes corporis: vel quia ibidem reliquis particulis firmiter intricati ſunt, aut verſus dictam ſubſtantiam languidius propelluntur. Sic etiam fit, ut refrigerio novi chyli ſanguinem ſubintrantis, ſomnus ultrò obrepat, præcipuè ſi prior etiam ad-

ſit cauſa, ut accidit ſub finem diei, poſt labores & cœnam. Utriquæ cauſæ contrariatur Herba Thée, ſpiríituosâ volatili & odoriferâ parte, ſpiritus diſſipatos reparat, amarâ, & diuretica, alimentorum humiditatem ſomno neceſſariam abſorbet, & urinas pellit. Tum fortè etiam calor actualis, quo potatur, ſpiritus agitat, ſicque vigilias procurat. Etenim obſervârunt quidam Medici, aliarum herbarum, veluti ſalviæ, veronicæ & pulmonariæ decoctum, calidè inſtar Thée epotum, eundem, quamvis minùs ſenſibiliter producere effectum.

§. 2. Eâdem ratione, iſtud cum Caffé, Thée habet comune, quod ſolvat ebrietatem, corpúſque nimis Baccho peſſundatum, integritati ſuæ reſtituat. De Duce *Albano* refertur, quod in menſa aquæ cyathum, quam in lingua ſua caſtigatorem dicebat, haurire ſolitus fuerit, quo vini fumos caſtigaret. At epitheton hoc potiori jure Thée potui conveniret. Dominus de *Bourges*, in relatione Epiſcopi Berytenſis ad Cochichinam narrat, dum *Siami* agerent, ſe poſt cibi ſumptionem Thée ádjungere aſſueviſſe, quod pauculo cum ſaccharo calidiſſimè bibendum præbetur, indéque bene habuiſſe, etſi frequentiſſimè piſces comederent. In regionibus illis ideò

deò potant, quia ſtomachus à nimio calore eſt debilitatus, aut quia vires ejus nutrimenti qualitate proſternantur; tantis nimirum folium iſtud & diverſis proprietatibus pollet, inter quas præcipua etiam eſt ebrietarem ſolvere, in quo à liquoribus aliis, quibus aſſueverunt homines, longiſſimè differt, qui ſi nimiâ copiâ hauriantur, rationi quoquo modo officiunt: at contra Thée eam ſtabilit, & vapores ipſi noxios excutit.

Antonius Muſa, Imperatoris Auguſti Medicus, proprietates, quas Thée adſcribimus, easdem herbæ Betonicæ quoque tribuebat, quam contendit 47. morbos ſanare. Et revera conformitas ejus cum herba Thée, vel maximè notatu digna eſt: forſan enim, quæ cum multis periculis & expenſis ſub cœlo peregrino quærimus, in ſolo noſtro reperire poſſemus, dummodo ſatis curæ impenderemus.

Præcipuus pariter effectus ſanandi capitis dolores, à noſtris autoribus Thèe tribuitur: *Hinc præcipua ejus qualitas*, ait R. P. de Rhodes, *eſt, quod capitis medeatur doloribus. Me quod ſpectat*, (pergit idem) *quotieſcunque hemicraniâ laborabam, mediante hoc potu mirificè ſanabar.* Idem ſentiunt *Olearius* & *Tulpius*, & ipſe *Simon Pauli*, qui tamen tractatum de abuſu

Thée habet, in quo & ipſius uſum omnem ferè improbat, hanc virtutem ipſi haud denegat. Nec dubium eſt, non ſolum præſentem dolorem inde levari, ſed omnem quoque ejus recidivam impediri; ſiquidem levis hujuſce potûs amarities, ejuſque vis ſtyptica, fibras ſtomachi conſtringendo functionem ejus perficiunt, prohibentque ne novæ generentur cruditates. Hincque non inconſultò, tum im̃ediatè poſt prandium, tum etiam jenuno ſtomacho, diebus aliquot continuis ſumi poteſt; nec enim ſicuti in potu Caſſé obſervatum, neceſſe videtur, ante ipſius hauſtum cibum aliquem ſumere.

§. 3. Ars ſanè Medica perfectionem ſuam partim etiam adepta eſt ex Analogismo, hoc eſt, concluſionum ope, quæ à morborum, eorumque originis conformitate, ùt & pharmaci unius cum altero convenientiâ, deducuntur. Suppoſitis ergò ijs, quæ de Chinenſium Thée protuli, concludo, ſum̃æ utilitatis eſſe, in pluribus Capitis morbis, veluti ſoporoſis affectibus, alijſque à lymphæ viſcoſitatibus ac vitijs ortum ducentibus malis: ita parili ratione conducet, præſervandæ imô & ſanandæ Apoplexiæ, Lethargo, Paralyſi, Vertigini & Epilepſiæ, quæ ſæpisſimè à nimia lymphæ effuſione in cerebro oriuntur, item oculo-

culorum morbis, Aurium ſuſurris, aliiſque id genus ægritudinibus: præſertim ſi peritus in arte Medicus adhibeatur, qui morbi & remedij circumſtantias ſcrutetur. Quod ſi quis miretur, tantos à levi infuſione hujus herbæ produci effectus, ſanarique morbos, remedijs cæteroquin efficaciſſimis vix curabiles; eum conſiderare oportet, Thée qualitates ſuas inſenſibiliùs & tutiùs imprimere, cæteris remedijs, julepo puta, apozemate & emulſionibus, quoniam longiori tempore adhibentur; tum etiam, quod abſque ullâ violentiâ operetur, non debilitando ſtomachum, velut emetica & purgantia, non exhauriendo vires, & ſpiritus, uti ſudorifera & phlebotomia, nec faſtidium ægrotis pharmacorum adinſtar ordinariorum procreando. Inſuper, ſicuti morbi noſtri, maximâ ex parte varijs in victu erroribus debent ortum, conſtat, potum adeò familiarem naturæ, ita & convenientem, ægrorum mala ſanaturum citiùs, quàm quodcunque aliud præſidium, cujus uſus non ita frequens, nec naturæ ita amicus eſt.

§, 4. Thée non capiti ſolum, inquit R. P. *de Rhodes*, ſed & ſtomacho digeſtionique mirificè inſervit: cur autem ſtomachicum ſit, facilè intelligere eſt, cùm omnia amara talia ſint, maximè ſi ſimul ſint aſtringentia.

Ejus

Ejus ergò amaritudo nimiam fermenti ſtomachici aciditatem corrigit, ſtypticæ verò vis fibras, à quarum relaxatione diverſa emergunt mala, conſtringit.

Notandum, quod Thée hos effectus feliciùs producet, ſi non tantùm ex eo infuſio paretur, ſed & ebullitio levis fiat, quoniam amaritudinem & ſtypticitatem, quæ terreſtri, non ſpirituoſæ parti inhærent, hoc pacto faciliùs deponet: Eodemque in caſu etiam Japonenſium methodus, in ſubſtantia haurienda eſt. *Excell. D. D. Monin*, Medicus Grationopolitanus, ſuis ægrotis maſticandum atque manducandum folium hocce præſcribit, in ſtomachi acoribus, ructibuſque acidis, & eo modo certiùs vim ſuam exſerere, quàm potum, teſtatur. Loco hujus maſticationis ſtomachi roborandi causâ, utuntur Hiſpani ſucco *catechu*, qui ſuccus eſt aſper, amarus, & ſtypticus; adferri eum ajunt quidam ex Japonia, putantque eſſe ſuccum expreſſum ex *Areca*, quæ arbor illic notiſſima, cujus folia maſticare ſolent: ex eo morſuli, ſive grana cum ſaccharo & tantillo ambar. gryſ. formantur, quæ à paſtu maſticare ſolent: Quapropter non malè potu Caffè atque Thée aſſociatur, cùm ſtomachi coctionem pariter promoveat. Correctis primæ digeſtionis erroribus, eliminantur unà effe-

ctus

ctus inde pendentes, ſtomachi nempe dolor, & colica, à crudis humoribus aut flatibus retentis, diarrhoeaque ab indigeſtione & chyli corruptione orta. *Olearius*, *Guilielmus Leyl* Danus, à *Simone Pauli* in tract. de abuſu Thée citatus, aliique plures ſcriptores de hiſce conveniunt.

Aſt cujus alia non contemnenda ab iis celebratur proprietas, à Nephritide ſcilicet, Calculo, & Arthritide ſeſe præſervandi, idque eò magis præſumitur ex eo, quod Chinenſes Thée potui indulgentes, hiſce affectibus non ſint obnoxij. *Id inter alia præſtat Thée*, inquit R. P. de Rhodes: *Quod renes nempe expurget, & corpus ab arthritide & calculo præſervat, & hæc eſt, ni fallor, ratio, quare in illis regionibus ignoti ſunt hi morbi.*

Huc ſimiliter collimat R. P. *Martinus Martinius*, in Atlante Chinenſi, dum ità fatur: *Calidum ſemper inquit, potant Chinenſes, ſive aquam, ſive vinum, ſive oryzæ decoctum: in his liquoribus calidis celebre ſuum* cha *infundunt, calidèque bibunt. Ubi huic calido potui fui aſſuetus, Europæos vituperavi, qui frigido ita delectantur. Chinenſes enim calido potu non ſolum ſitim extinguunt, ſed & humiditates ſuperfluas exſiccant; inde fit, ut ferè nunquam exſpuant, nec doloribus*

Nephriticis aut ſtomachi cruditatibus, ſicut Europæi tententur, tantoſque morbos, qui apud nos graſſantur, calculoſam renum arenam, podagram, chyragram, ſimileſque affectus neſciant.

Aſſerit etiam *Tulpius*, vulgarem inter Chinenſes eſſe perſuaſionem, hanc plantam ſibi à Dijs donatam, vitæ prorogandæ ad extremum ſenium, & malorum avertendorum causâ, non ſolum enim corpora vegeta reddere, à calculi doloribus præſervare (quibus ajunt neminem, illic tentari) ſed etiam Capitis dolores, Rhevmata, Ophthalmias, Cararrhos in pectus ruentes, Aſthmata, Dyſpepſiam, Tormina, & Laſſitudinem curare.

Hos effectus non mirabitur, quisquis obſervaverit ea omnia, quæ renes expurgant, & ſerum minuunt, modò debilitatem aut aliud malum in viſceribus non relinquant, præſtantiſſima eſſe, ne arena aut phlegma viſcoſum, calculi parentes, generentur, nevè arthritis, aut rhevmatiſmus quempiam præhendant: hinc commendantur omnia diuretica in hiſce affectibus. At inter diuretica non minimum obtinet locum herba Thée, cujus nimium uſum obſervarunt quidam, urinæ copioſum fluxum & vulgò dictum Diabetem aliquando excitaſſe. Obſervabat enim famoſiſſimus

D. D.

D. D. *Carolus Sponius*, ex Hipp. Aphor. nono Sect. IV. *res odoratas eſſe diureticas*, quia conſtant partibus penetrantibus & volatilibus, quæ viſcoſos humores in ſerum liquant, aptioréſque ad motum reddunt, ut per urinas exturbentur. Sicuti enim obſervatum eſt, diuretica, veluti cappares, ciceres, tamariſci, & vinum album ſplenica eſſe, unde ea hoc in paſſu commendat *Hippocrates*: ita Chinenſium *Thée*, horum virtutibus dotatum, in lienis morbis non exiguæ futurum eſt utilitatis.

Complures ſubjungere poſſem morbos, in quibus Thée non ſecus ac Caffé potus conveniens eſſet, veluti ſunt Lumbrici, affectio Hypochondriaca atque Hyſterica paſſio, Palpitationes alijque ejuſmodi affectus: ſed ne crambem bis repetam, ſufficiat annotare, Thée à quibusdam etiam inter febrifuga fuiſſe collocatum, & ſpeciatim febricitantibus non eſſe inutile. Cæterùm lac, herbâ Thée inprægnatum, easdem ferè vires poſſidet, ac lac Caffé alteratum; unde pectoris morbis egregiè convenire videtur.

Talem mixtionem Chinenſibus debemus, qui dicto modo præparatam, advenis aliquando propinant. *Tartari & Chinenſes de genere nobiles*, inquit Author legationis Belgicæ, *foliorum Thée pugillum aquæ ferventi injiciunt, deinde iſti aquæ quar-*

tam

tam lactis partem cum pauco ſalis admiſcent, ſicque palato ſuo admodum gratam propinant. At ſi ſalis loco ſaccharum addamus, potum non ſolum utilem, ſed & gratiſſimum efficiemus, & ſic ſi ægro ſimili conveniet, delicato ac pergrato remedio curabitur. Imò ſunt quidam pectoris affectus, in quibus Thée lacti admixtum, lacti Caffé imprægnato, præferendum eſt: Illud enim adſtrictione ſuâ, vaſorum extremitates ab anaſtamoſi aut diarthroſi aperta, obturare ſtiptica ſua virtute aliqualiter valet, cùm lacti citiùs ſuas virtutes & qualitates communicat, quàm lac Caffé alteratum; nec ſanguinem æquè volatiliſare, ac ita, ſicut in ſimplici ejus infuſione exaltare nequeat, ut ex arterijs aut venis in pulmones effundatur.

Ex eadem ratione, Dyſenteriæ & Diarrhæ non minùs convenit, præſertim ubi opus eſt humores cicurare, nutritioni deſtinatas partes roborare, ſerùmque acre temperare, & per diureſin aut diaphoreſin eliminare. Hæc autem commoda methodus eſſe videtur, poſt purgationem, ſi neceſſaria videatur, lactis vaccini aut caprini calicem leviter ebullire ſinere, ut videlicet partes butyroſæ, balſamicæ, pulmonum bronchia infarcire queant, & hinc aquæ cyathos duos, in quibus drachma Thée fuit in-

infuſa, admiſcere, & cum ſacchari ſemiuncia edulcoratum, calidè propinare, continuando per menſem unum aut alterum, ſi exinde bene ſe habeat æger, reiterandum ſingulis quindecim diebus, attamen leves & gratas purgationes interponendo, ex uncijs duabus e. g. caſſiæ recenter extractæ, vel alio ejuſmodi lenitivo. Hæc de Herbæ Thée uſu legitimo dicta ſunto; ordinis ratio nunc poſtulat, ut paucula quædam de abuſu Thée dicamus, quo permulti, præter opinionem, varias & diverſas ſibi infirmitates accerſere ſolent.

SECTIO III.

Quomodo Thée diſconveniat, ſeu de ejus Abuſu.

SIcuti moderatus Vini uſus cor hominis lætificat, & ſpiritus roborat, hujus verò abuſus crapulam, tremorem artuum, aliàque incommoda facili negotio, excitare poteſt: ita pariter circa potum Thée res ſe habet. Nimirum hujus uſus moderatus, convenienterque adhibitus, uti de meliori commendatur, ita ejusdem abuſus hodiedum, in quibusdam huic potui exceſſivè deditis, deteſtandus eſt, præcipuè in illis, qui non ùt medicamento, ſed quaſi potu ordinario, ſine diſcrimine ſuarum complexionum, ætatum, aliarùmque circumſtan-

tiarum, abuſivè eo utuntur. Calor enim nativus ex ejus abuſu, inſtar flammæ lampadis oleo conſumpto, extinguitur: faterique neceſſe eſt, immoderatum Thée, ſicut Vini potum, humidum nativum prætaturè abſumere, caloremque ac vitam unà extinguere poſſe. Nec minus legitimus ipſius eſſe videtur uſus in illis, in quibus ſal aliquod acre, volatile, prædominium habere ſolet, veluti in phthyſicis jam confirmatis, hecticis, ſcorbuto volatili, ſcabie bilioſa, & ejusmodi affectibus detentis, in talibus enim ſubjectis & morbis, non ſolum febrim lentam potus Thée, particulis ſuis volatilibus & nimis exſiccantibus, augere, ſed etiam partes jamtum emaciatas, ulterius rore ſuo nutritio prædari valet.

De nocumentis verò hujus potûs, ſequentia apud *Antonium de Heyde* legere eſt, in centuria Obſervationum, obſerv.96. *Tincturam*, inquit, *è folijs Thée mediante aquâ calidâ extrahi, vulgò notum eſt. Ejus potum aliquando quibusdam conducere, negare nolo; attamen, ut eum omnibus utilem putem, adduci nequeo: quippe veroſimile videtur, emolumenta quædam Thée adſcripta, ab aqua calida potius eſſe deducenda. Hunc potum quibusdam nocuiſſe, videtur experimento ſæpius probatum: inter alia hoc patet ex ſe-*

ſequenti hiſtoria ; Mulier vegeta & ſana, potus Thée dedita, conqueritur de frigore acri interiora concutiente, præſertim noctu, quod à Thèe potu derivandum putat, hanc ob cauſam, quia eo potiſſimum corripitur, ubi huic potui indulſit. Memini, pergit idem Author; *ante aliquot annos, virum robuſtum conqueſtum eſſe de frigore acri in abdomine, quod etiam potui Thée, quem quotidié ſumebat, imputat.*

Plura quidem adhuc adjungere poſſem, quibus in caſibus & ſubjectis, Thée non ſecus ac Caffé potus diſconveniens, imò magis nocivus obſervatus fuit : ſed repetenda forent plurima, quæ in prima Diſquiſitione jam adduxi, & ne crambem recoquam, hæc interim ſufficiant, hoc unicum addens, quod Thée cum Caffé, uti in debito uſu & viribus, ita in abuſu & nocendi modo feré conſpiret. Interea autem non ſolum Medicus à nocentibus & juvantibus judicare tenetur, verùm quoque omnis homo, auream illam *Syracidis* regulam diæteticam accuratè obſervare debet; *proba, quid ſanitati tuæ conducat.*

Non minus Divi Pauli regulam univerſalem unuſquiſque recommendare ſibi oportet : *Omnia probate, quod bonum eſt, retinete.* Hanc enim, qui obſervat, plus poteſt efficere, quàm per plures panacæas

Medicorum etiam celeberrimorum ;porrò vitioſa non ſolùm ſunt extrema in Philoſophia morali, ſed & in Medicina: *virtus medium tenet*; felix ſanè ille, qui documentum hocce mordicitùs obſervat.

Cæterùm pro coronide hujus Tractationis concludam ſequentibus: cùm nempe Thée, ipſiſmet Chinenſibus novum ſit medicamentum, cujus proin non ſolùm vires, facultateſque necdum ſatis accuratè illi, qui examinârunt defacto detexerunt, nec ſatis exquiſitè, ceu in lydio lapide probarunt, quis igitur artis Medicæ gnarus, herbas noſtrates, quarum tamen virtutes & facultates, naturæ noſtræ convenientiores, nec non per tot ſæcula approbatas, anteferre non eliget? imò quis jurare auſit, quin non eadem folia Thée, quæ ſemel atque iterum infuderunt, aut aquâ macerârunt Aſiatici, ſubinde denuò lucri gratiâ iterum exſiccent, ac in Europam nobis ſubmittant. Ut taceam inſuper, quod eadem folia adulterari alijs, aut alia genuinis ſurrogari poſſint, calliditatem enim Chinenſium, jam olim detexit ac taxavit *Simon Pauli, in ſuo Quadrip. Botan. de abuſu Tab. & Thée*

Huic quoque accedit, quod foliorum Thée vires, (præſertim ſi non probè & exactè, clauſis vaſis, ſint aſſervata,) aliqualiter imminuantur, ac labefactentur, in longiſ-

giſſimo illo Orientali itinere, ob calorem ſolis inibi immenſum ac intolerabilem; quandoquidem bis æquatorem ſubire naves coguntur, antequam Europæis famoſo illo Thée potiri liceat.

DE HERBA NICOTIANA, SEU, DE TABACO, ANACRISIS.

SECTIO I.

Nominis Significatum & Originem, Differentias, & Sophiſticationem Herbæ Nicotianæ evolvit.

§. I.

POſtquam ſpecialibus hucuſque Tractationibus & Sectionibus, de Caffé, Chocolatâ, atque herba Thée egiſſemus, nec non monſtraſſemus, quanta bona ex legitimo eorum uſu, firmæ aut ſiniſtræ valetudini ſuperaddantur, & quomodo ab iisdem diſconvenienter adhibitis, aut ab eorum periculoſo abuſu, vitæ diutius protrahendæ obices obtrudantur: reſtat nunc, ut tandem ipſius decantati, uſitatique inter

Europæos herbæ Nicotianæ, vulgò Tabaci dictæ, naturam, uſum, ſimul & abuſum, compendiosè ſtrictiori ſcrutinio ſubjiciamus. Aſt nè æquivocis obſcuretur oratio, de nomine primo loco agendum eſt, Marcô Tulliô Cicerone teſte: & nè ſub obſcuro nomine militemus, aut incerta ſub teſſera in arenam deſcendamus, operæ pretium erit, pauca quædam de ipſo argumento inſinuare.

Herba itaque, quam vulgò Tabacum dicimus, propriô apud Indigenas Americanos vocabulo *picielt* vocatur, ut ait *Monardes*. In Hiſpaniola *pete de cenue* dicitur, teſte *Oviedo*; à novæ Franciæ Barbaris, ſub *Peti* nomine celebratur. *Nicotiana* appellata eſt à Joanne *Nicotio*, Regis Galliarum Legato in Luſitania, anno 1559. qui primus hanc plantam Gallijs transmiſit Reginæ, hinc *herba Reginæ*, & quod illa ab Hetruriæ Magnis Ducibus proſapiam duceret, *herba Medicæa* eſt facta, *herbáque Legati* ab eo, qui tranſmiſerat Legato: *Magni Prioris herba* multis in Galliæ locis, Romæ *herba Sanctæ Crucis* aliquamdiu dicta fuit, quod plurimam horti partem, Magnus Galliæ Prior illi devoviſſet, & Cardinalis à Sancta Cruce, Nuncius in Hiſpania Luſitanica Apoſtolicus, inde tranſtuliſſet Romam, ùt olim illius Cardinalis majores, lignum Sanctæ

ctæ Crucis Romam detulerant. Multis *Herba ſacra*, *Herba ſancta*, *Herba divina* vocatur, ob divinos mirandosque effectus.

Sed omitto alias adhuc appellationes minus notas, uti Virgineis dicitur *Uppuvoc*. Hiſpaniolis, *Cozzoba*. Cæſalpino, *Tornabona* ab Alphonſo Tornabono Antiſtide Burgenſi. Camerario, *Conſolida Indica*. Dodonæo, *Hyoſcyamus Peruvianus*. Primus autem in Galliam ſemen detulit *Thevetus*; in Luſitaniam, Hiſpaniamque miſit *D. D. Franciſcus Hernandes de Toledo*. In Angliam ex Virginea detulit Tabaci ſemen *Franciſcus Draeck*, Angliæ Archinauta, & iſti omnes aliquam nominis mentionem fecerunt de Tabaco. Ijs ergò nominibus vel obſoletis, aut minus tritis, *Tabacum* generaliori conſenſu appellatur, quod nomen illi ab Hiſpanis inditum à ſuo natali ſolo, Inſula ſcilicet *Tabago* ſeu *Tabaſco*, hujus herbæ feraciſſima, hoc enim nomen, quia toti Europæ notum, magis etiam arridet.

§. II. *Tabacum* ſeu *herba Nicotiana* à pleriſque A. A. in duas communiter partitur ſpecies. *Primò* enim dicitur *Nicotiana major latifolia*, aliàs *Hyoſcyamus Peruvianus*. 2*dò* vocatur *Nicotiana minor* ſeu *Hyoſcyamus luteus*; utræque enim ſunt de proſapia *Hyoſcyami*, & ad ejus ſpeciem re-

ferendæ , ſicut & inſtar Hyoſcyami vim habet narcoticam & ſtupefactivam. Eſt autem *Tabacum* plantæ genus , folia habens numeroſa , plus minus ampla , longáque, ſuccô pleniſſima, ſubhirſuta unà cum colore viridi minus ſaturo , texturâque parùm fibroſâ, venis raris ſed grandibus ; ſummis in ramis flores geſtat numeroſos ex albo purpuraſcentes, & luteos, odorem non ingratum ſpirantes. Exciſis floribus ſuccedit caput conoideum, exiguæ tamen areæ, ibique generatur ſemen minutiſſimum, cui color eſt ex ruffo fuſcus ſeu nigricans, cùm maturuerit , & magnitudine papaveris ſemen æquat, ſapore haut abſimili, ejus verò radix craſſa eſt & multifida, atque lignoſa, intus plerumque crocea & amara , quæ facilè cortice ſuo exuitur. Naſcitur ultronea naturæ vi in America, ſolo non ita compacto & leviori , umbroſisque locis gaudet ; In Indijs , ubi potentioribus ſolis radijs expoſitum, flacceſceret ; Aſt in Europa , ubi mitiùs eſt cælum, præter diligentiorem culturam , locus requiritur fœcundus , & qui ſolis meridiani radios excipiat , neque ventis furioſis ſeptentrionalibus ſit expoſitus : Vid. *Neand.* Tabacolog. & *J. Chryſ. Magn.* in ſuis exercit. de Tabaco.

§. III. Ita autem invaluit , in multifarijs Europæ regionibus, ex diligenti ejus incola-

larum induſtria & cultura *herbæ Nicotianæ* plantatio & uſus, ut non amplius ferè Americanis indigena eſſe videatur, licet ejus origo illinc derivetur: variæ quidem hinc inde reperiuntur in orbe Tabaci ſpecies, quæ non tantùm in diverſis Americæ alijſque Indiarum Provincijs (à quibus varia ſortitur nomina Tabacum, nimirum Virginienſe, Braſilienſe, Floridanum &c.) verùm etiam nunc in multis Europæ plagis plantantur, quod Anglia, Hollandia, Hiſpania, Italia, aliæque Europæ partes abundè atteſtantur, & præcipuè quidem noſtra Germania, quæ tantæ progignit bonitatis Tabacum, ut cæteris ferè cunctis ſpeciebus exoticis, parúm aut nihil in ſua cedat præſtantia; hoc enim ipſum circa Hanoviam, Argentinam, Bremam &c. fertiles demonſtrant agri. *Joan. Neand.* pag. 241. ait, optimum quidem Tabaci genus aliàs eſſe Virginienſe & Braſilienſe; *at ſicubi*, inquit, *evanida eſt Tabaci virtus ob ſenium, mercatores, ne lucro defraudentur, ita reſtituunt:* ℞ *muriæ Limonum, aceti vini* ana lib. 15. *ſyrupi conveni. fol. tabac. diſſol.* unc. *iij coquantur ad dimidiàs; in colaturam calentem, & fervori proximam, Tabacum immitte, ut mox conglomeretur: ſit enim ita, ut diu conſervetur.*

Aſt ſanè ex his videre eſt, quàm parùm ſincerum ſit Tabacum, quod ex Indijs ad nos defertur, magisque expedire uti noſtro, in noſtris hortis ſato, huic enim poſſumus magis ſecurè fidere: Indico autem, vario modo ſophiſticato, mille res ineſſe admixtas ſuſpicari poſſumus, ſalem nempe, zz. vinum, piper, muriam Limonum, acetum, euphorbium &c. quæ vires ejus vel minuunt, vel planè corrumpunt; nulla enim vis, quæ evanuit, reſtitui poteſt, niſi virtute pari inductâ. Sic ſucco Tabaci reparari poteſt aliquatenus exhauſtum folium, ſecùs ægrè admodum. Cæterùm in genere herbæ Nicotianæ bonitas, præſertim noſtratis dignoſcitur, ſi colorem repræſentet ſubfuſcum ac caſtaneum, ſpiretque odorem volatilem acrem non ingratum, ac fœno recenti haud abſimilem: quomodo verò plantetur, qualisque in his regionibus ejus ſit cultura, D. *Thebeſius* Cap. 1. pag. 9. & *Joan. Chryſ. Magn. in 1. Exerc. de Tab.* fusè tractarunt. Ubique interea gentium, in Europa præſertim & America, tanta cum Tabaco exercetur mercatura, ut etiam Ordines Hollandiæ ultra 3000. florenorum annuè, è modico vectigali, Tabacarijs officinis impoſito, colligant. Sic pariter in Anglia, Italia, Gallia, alijſque Europæis regnis, non parum exinde ad Principum æra-

raria accedit emolumenti. Atque hæc de Herbæ Nicotianæ deſcriptione & natura breviter dicta, ſufficiant; nunc ſupereſt, ut in orbitam revertamur, ac ſequentem ſectionem â principalioribus Tabaci qualitatibus, ejusque recto uſu ordiamur, & concludamus.

SECTIO II.

Herbæ Nicotianæ Qualitates in genere & in ſpecie, ejusque fumationis ac pulveris uſum exponit.

§. I.

QUantum ex ſpagyrica Herbæ Nicotianæ ſeu Tabaci analyſi, varijsque Medicorum experimentis hactenus expiſcari potuit, generaliter in ea diſtinguenda venit, duplex particularum compoſitionem Tabaci materialem ingredientium differentia.

Primò enim *particulæ ſalinæ volatiles* acerrimæ, ac naturæ ſpecificè *acidæ* ſunt, cùm recens herba trita, ſaporem ſubamarum & acutè penetrantem, piperinum quaſi repræſentet: ab his dependet vis ſummè irritativa partium fibroſarum ac nervoſarum, hinc eſt, quod fumi tantillum inſpiratum, ac cum ſaliva ſimul deglutitum, fibrasque ventriculi irritans, tantos excitet vomitus & enormes dejectiones; quod etiam

tiam fit, ſi tantillum Tabaci maſticetur, ac cum ſaliva deglutiatur; etiam externè applicatum vomitus ciere, habet *Williſius, in Pharm. rational.* Ex infuſo in ſpiritu vini, paratur Eſſentia fortiter vomitoria: melius tamen paratur cum dimidio nitri fixi, prout eam inſinuat *Ludov. Pharm. p. 501.* vel cum alcali tartari quod virulentiam ejus multum corrigit. Obſervari merentur, quæ hic annotata habet *Lemery, in ſua Chymia* pag. 528. hic recipit Tabaci boni minutim inciſi unc. VIII. affundit *ãã.* phlegm. vitriol. digerit in cucurbita vitrea, arenæ calidæ impoſitæ, per diem & noctem deſtillat unc. V. & aſſervat ſeorſim hunc liquorem: eſt vomitorium inſigne; hic liquor datur â ʒij ad ʒvj. Reſiduum hujus decocti, per retortam, igne aperto deſtillatur, & obtinetur phlegma, oleum nigrum, & ſpiritus; olei hujus ʒi cum unc. ij pinguedinis mixta, egregium eſt in ſcabie remedium. Eſt etiam oleum hoc Tabaci tam potens vomitorium, ut, ſi aliquamdiu naſus admoveatur phiolæ, in qua aſſervatur, vomitus ſuperveniat. Violentos olei Tabacini effectus in varijs animalibus, videbis in *Harderi Apiario, obſerv. 1. uſque ad 7.*

A dictis particulis ſalinis, dependet vis ejus aperitiva, reſolutiva, inciſiva, ſordium viſcidarum expectorativa, item emetica &

pur-

purgativa ; cùm ſit unum ex vehementiſſimis purgantibus ; hinc eſt, quod in Aſthmate humoroſo , Orthopnœa, tuſſi humida, & ſimilibus affectibus , ex muco craſſo viſcido & mucilaginoſo , pulmonum tubulos infarciente, obortis (**Wann ſie ſtarck röchelen**) pro muco hoc eliminando, item purulentijs pulmonum extergendis , infuſum ejus per digeſtionem probè paratum, item ſyrupus, oxymel ejus &c. medicamenta ſint expectorantia ferè ſine pari, & quaſi divina remedia ; ſed attendendum eſt , ut legitimè ſint præparata , per crebras purificationes & repetitas infuſiones, ſic enim domatur Nicotianæ vis nimiùm purgans & vomitoria. Unde expertus eſt ſyrup. & oxymel *á Petro Quercet*, quæ duæ compoſitiones ſunt efficaciſſimæ in humoroſo Aſthmate : ſic etiam *Aqua deſtillata* ex folijs Nicot. commendatur â *Fabro* in Aſthmate , quæ aqua miſta cum ſucco nicotianæ , per reſidentiam probè depurato , additis aliquot guttulis olei ſeu ſpiritus ſulphuris , uti vult *Langius* , erit egregia in Aſthmate. Pariter quoque â dictis particulis ſalinis provenit , quod Nicotiana maſticata, ſit potentiſſimum Apophlegmatizans , copioſisſimaſque excitet ſalivationes, ſale ſuo volatili acri & penetrante , penetrando in vaſa excretoria glandu-

la-

larum ſalivalium, eaſque irritando. Hinc ſunt nonnulli, qui Tabacum infundunt ſpiritui vini, ac exinde parant *extractum*, quod piſi magnitudine linguæ impoſitum, oſculaque vaſorum ſalivalium vellicando, magnam pituitæ ac ſalivæ copiam, per os educere ſolet. Ubi tamen omnino cavendum eſt, ne vel minimum ejus in ſtomachum deglutiatur, ſecùs enim vi narcoticâ caput ſtupefacit, adeò quidem, ut omnia rotari tanquam ebrijs, videantur, & hinc vomitus & ſeceſſus vehementes provocantur: uterque effectus, tam narcoticus ex oleo reſoluto, quâm apophlegmatizans ex ſale volatili acri, manifeſtus eſt in ejus fumo per tubulos hauſto, de quo infra. Aliâs & in herba arida ſal hoc reperitur & oleum, & quidem acrius ac exaltatum, quia per putrefactionem, præparationem ejus antecedentem, ſal volatile acre nonnihil ſeparatur ex concreto miſti, & longé fit acrius; per putrefactionem enim *Spiritus urinoſus* & *ſalvolatile* optimé eliciuntur. Econtra, in planta ſucculenta recenti, vires magis temperatæ ſunt, quia ſal ejus volatile ab humido temperatur. Præter has verò particulas ſalinas penetrantiſſimas, conſiderandæ etiam ſunt

Secundò particulæ oleoſæ ſulphureæ non adeò maturæ, ſed adhuc perquam crudæ

&

& fumoſæ, quæ celeri paſſu totum perambulant corpus, ſpirituſque ita obnubilant, corúmque impetum elaſticum ita compeſcunt, ut ſummus torpor, ac ſtupor narcoticus, totum corpus excipiat: cujus intuitu, Nicotiana ſpecies quædam Hyoſcyami, cui neque cedit, eſſe videtur; hinc eſt, quod, qui ejus fumo utuntur, plerumque ſomnolenti ſint, imò, qui eodem nimium abutuntur, ſtuporem mentis, aliaque corporis mala contrahant, uti in ſequentibus, de ejus abuſu, plura audiemus. Vim hanc ſtupefactivam, non tantùm ſub formâ fumi exſerit, ſed & externè uſurpata, eandem patefacere ſolet, cùm in enecandis pediculis capitis, & curanda tinea, capiti applicata, ægros ſtùpidos & quaſi ebrios reddit, niſi ſummâ cum cautelâ adhibeatur. Hinc etiam in quibusdam locis *unguentum Nicotianæ*, proſtat, quod expertum eſt conrra pthyriaſin, ſed periculoſus eſt ejus uſus, unde ut dixi, cautelâ opus eſt, quia exinde infantes, monente *le Febure*, propter virulentiam, plerumque in cardialgiam & ſyncopen incidunt, ſtupidi ac quaſi ebrij fiunt, & ſupra & infrà purgari ſolent. Moderni, præprimis Angli, clyſmata ex fumo Tabaci, in paſſione iliaca convulſiva, & obſtructione alvi, affectibuſque flatulentis applicata, tanquam præſenta-

taneum remedium recommendant, non tantùm dolores ſiſtendo, ſed & alvum laxando: vid. *Bartholinus, centur.* 4. *Epiſt.* 92. *& in hiſt. anat. cent.* 6. *obs.* 66. ubi modum & inſtrumentum, quo ſine noxa & moleſtia applicatur, deſcribit. Porrò propter vim ejus anodynam, & nervinam, eſt, quod in ore detenta, aut maſticata, dolores dentium ab acido oriundos, ſedet, vi narcoticâ ſenſum doloris fallendo, & per copioſum fluxum ſalivæ, acidum in radice dentis rodens, â ſale volatili Nicotianæ prius concretum eluendo: vid. *Riverij* cent. 4. Item, quod folia contuſa, non ſecùs ac hyoſcyami, dolores alicujus partis affectæ ſiſtant. Unde folia recentia, vel exſiccata noviter humectata commendantur, impoſita auribus, contra otalgiam. In ſpecie verò in cruribus œdematoſis, & puſtuloſis, folia recentia, leviter contuſa & applicata, extemporaneum ſunt remedium.

Utriſque his particulis, tam ſalinis quàm oleoſis, excellentiſſimum præbet vulnerarium, in vulneribus inveteratis, ac ulceribus quibuſvis & manantibus, modò non nimis malignis, etiam phagadænicis perſanandis, ùt & contuſionibus: particulis enim ſalinis ea mundificat, oleoſis verò eadem efficaciſſimè conſolidat, ac dolores lenit: hinc recens planta, dum ſucco,

ſal

ſal volatile acre ſulphureum temperante, adhuc pollet & turget, etiam hujus ſuccus recens expreſſus, vel decoctum, vel infuſum, in vulneribus, ac ulceribus inveteratis, quodvis chirurgorum Balſamum ferè antecellit. Sicut & ordinarium ingrediens eſt, Balſamorum vulnerariorum & unguentorum, quæ applicantur partibus exulceratis: ſuppurat enim egregiè, optimè mundificat, & ad ſanationem producit; unde etiam in ulceribus, vulgatum Unguentum diapompholygos, malaxatur cum oleo Nicotianæ. Sic ſola folia Nicotianæ viridia, contuſa pauliſper, manè & veſperi impoſita recenti vulneri, ſine ulcere curant, teſte Experientiſſ. *Ettmüllero*, ut & ipſa ulcera tibiarum, ſatis aliàs curatu difficilia, item pedibus puſtuloſis ſimulque œdematoſis, hoc modo impoſita, mirabiliter ſuccurrunt: ſic & in ulceribus fiſtuloſis ſinuoſis; & ipſis fiſtulis laudem meretur, ubi vel oleum ejus pro inunctione, vel malaxatione Emplaſtrorum, vel ſuccus, tam per ſe, quàm in emplaſtris, vel decoctum, vel infuſum pro lotione & injectione, ſatis eſt efficax; ſic etiam ſuccus Nicotianæ, cum pulvere exuviarum ſerpentum, per ſiphonem fiſtulis injectus, easdem mirabiliter ſanare dicitur: alij recipiunt ſuccum cancrorum fluviatilium, cum folijs nicotianæ, & pulvere exuviarum ſerpentum, & fiſtulis ac ulceribus fiſtuloſis applicant, felici cum ſuc-

H ceſ-

ceſſu. Porrò in affectionibus cutaneis externis, ſcabie v. g. herpetibus, impetigine &c. admodum egregium eſt remedium Nicotiana,& quidem oleum per infuſionem factum, & unguentum de Nicotiana: non ſecus ac ad cancrum multùm conferre dicitur. conſ. *Velſch. Hecatoſt. 2. f. 24.* Præterea quantum in Empyemate, ſive ex plevritide ſuppurata, ſive vomica, ſive vulnere pulmonum, ad materiam purulentam evacuandam, ulcuſque conſolidandum, valeat decoctum, infuſum, ſyrupus, aliaque medicamenta ex Tabaco præparata, non ſatis laudere poteſt *Magnen. in ſuis exercit.* & *Epiphanius Ferdinandus in hiſt. Med. mir. 32 & 45.* Imò per decoctum foliorum recentium Nicotianæ, ſe quendam â morte præſentiſſima liberaſſe dicit. Verba ejus ſunt hæc: *In Empyemate me nunquam deceperunt, ſemperque iis felici cum ſucceſſu uſus ſum, vaporatione & decocto Tabaci, quibus mediantibus mira puris per tuſſim facta eſt excretio, idque continuando, ſanati fuerunt.* Alias internè præterquam in affectibus pectoris, diſpnœa, plevritide ſuppurata, Aſthmate infantum, vulneiibus & ulceribus pectoris, parum habet uſum, propter vim emeticam & virtutem narcoticam, ſatis ſuperque demonſtratam.

In Tumoribus autem duris & ſcirrhoſis emolliendis, reſolvendis & diſcutiendis, præſer-

ſertim ſplenis & epatis, admirabilis eſt hæc Herba, unde in *Zvvelſeri Phar. Reg.* edit. ult. pag. 312. proſtat egregium *Emplaſtrum ſplenet.* cujus baſis eſt Nicotiana: quin & in quartanis febribus, ſuccus aut extractum ejus lienari regioni applicatur non ſine ſenſibili effectu, unde quidam habent Emplaſtrum contra quartanas ex Nicotiana, qui applicant regioni renum, ſicut *Helmont. tract. de feb. cap. 14.* Quartanas per tale Empl. ſe curâſſe aſſerit. Omnes autem hactenus recenſitas qualitates *Ægid. Everhardus* ſequentibus comprehendit verſibus:

Nomine, quæ *ſanctæ crucis herba* vocatur. *ocellis*
Subvenit & ſanat, *plagas*, & *vulnera* jungit,
Diſcutit & *ſtrumas*, *cancrum*, *cancroſaque* ſanat
Ulcera, & *ambuſtis* prodeſt, *ſcabiemq;* repellit,
Diſcutit & *morbum*, cui ceſſit ab *impede* nomen,
Calfacit & ſiccat, ſtingit mundatque reſolvit,
Et *dentum* & *ventris* mulcet, *capitisque dolores*,
Subvenit *antiquæ tuſſi*, *ſtomachoque rigenti*
Renibus & *ſpleni* confert, uterque *venena*
Dira ſagittarum domat, *ictibus* omnibus atris
Hæc eadem prodeſt, *gingivis* profuit, atque
Conciliat *ſomnum*, *nuda oſſaque carne* reveſtit.

§. II. Perluſtratis ergò pleriſque Tabaci tam in-quam externè exhibiti qualitatibus, tandem ad creberrimum fumi Nicotianæ, in tubo accenſæ ore attracti & redditi uſum, etiam progrediar; cujus origo ab Americanis (qui in ſacris primò, ob varias eorum ſuperſtitiones & fabulas; deinde indiſcriminatim illo utebantur) principaliter derivatur,

referente *Magneno, Exercit. VI. p. 2.* Aſt hunc fumi tabacini uſum, utpote ſuperſtitionibus immixtum, abhorrebant initio Hiſpani, ùt ait *Franciſ. Lopez de Gomora in Hiſt. Ind. Occid.* nihilo tamen minus, illum morem maximè in Europam invexêre Angli, poſtquam Virgineam detexiſſent, celebremque illius uſum fecit *Franciſc. Draeck*, inſignis ſæculi ſuperioris Archinauta, qui etiam omnium primus ſemen tabaci apportavit in Angliam. Poſt Anglos, adhibuêre Belgæ, Hollandique, quoniam hæ gentes tunc ebrietati magis deditæ, ſentiebant à tabaco turbationem fieri mentis, ſupparem vino. 2dò: quia in navibus & mari vivere aſſueti, pituitam congerebant, quæ ita evacuebatur. 3tiò: quòd ſomnum conciliabat, brevem, profundum, & reficienrem, ſi abundè ſumeretur, ſin parcè, reddebat ad excubias vigilantiores, quod noſtri pariter noverunt milites, qui excubias longiores acturi, Tabaci fumo ſe tantiſper præmuniunt.

Quidquid ſit, fumi tamen uſum in Medicina frequenter adhibitum fuiſſe, apud Medicorum legislatores legimus. Sic ſuffitum meminit *Hipp. in Aph. 28. Sect. 5. & 6. Aph. 59. Gal. com. Aph. 28. Sect. 5.* per uterum, totum corpus ſuffiri poſſe pronunciavit. *Avicenn. lib. 2. Can. Tract. 2. c. 247* fumi uſum, naturamque explicat, commendatque in ulceribus oculi fumum thuris. *Herodo-*

tus

tus Babylonios haurire fumum ad ebrietatem uſque ſolitos, teſtatur *lib. 1.* hiantes fumum tuſſilaginis haurire jubet, *Diaſc.* ad tuſſim ſiccam *lib. 3. c. 117.* Idcirco legitimum jam à 100. annis in Europam introducti, atque per experientiam approbati herbæ Nicotianæ fumi uſum, certis in caſibus è penu Medica proſcribere non licet: Quemadmodum enim Tabacum, ùt ex dictis patet, ſub varijs formis à practicis, tam in-quàm externè optimo cum ſucceſſu applicatur: ſic pariter quoque, ratione ejusdem principij jamjam nominati, ſub forma fumi ore attracti & redditi, vulgò phlegmaticis dictis, ſeu etiam illis optimè conducit, quibus caput partéſque vicinæ, ex quacunque occaſione ſuccis chyloſis & lymphâ copioſiori nutritivâ irroratæ ſunt, ſeu qui ſal volatile temperatum habent, multiſque alijs affectibus narium & faucium, coryzâ, laxatione uvulæ, & ſimilibus, qui inflammatione faucium & affectibus catarrhalibus infeſtantur. Nam vi narcoticâ, ſtimulum cauſæ externæ, lymphæ profuſionem cauſantis, ſiſtendo, ejuſque acrimoniam temperando, uberiorem effluxum prohibet, ſicut ipſam lympham per ſputum copioſiùs promovendo, ſucceſſivè partes capitis & faucium interiores, à nimia illuvie defendit. Præprimis autem *tabacum compoſitum*, ſub *ſpecierum diatabaci* nomine, catarrhoſis commendatur, ſi nicotia-

næ addatur ſuccinum pulveriſatum, maſtix, ſandaracha, ſtyrax, flores ſpicæ nardi, & quædam aromata, irrorenturque aliquot guttulis olei diſtillati aniſi vel ſuccini, item unum alterumvè granum camphoræ; ſic enim ejus uſus capiti & catarrhalibus affectibus ſumoperè conducit: alij, qui habent ſeroſum caput & lymphaticum etiam, cubebas addunt.

Celeberrimus *Williſius* Tabaci uſum, præprimis ejus fumationem in caſtris, maximè commendat, poteſt enim commeatûs inopiam, quæ inibi frequens eſſe ſolet, ſupplere, & milites laborum & periculorum minùs ſentientes efficere. Morbis inſuper caſtrenſibus, colicæ, diarrhœæ, ulceribus capitis, & artuum doloribus apprimè medetur, tam præſervando, quàm ſanando. Quin & peſtis præſervativum & ſingulare curativum in fumo tabaci conſiſtere, propriâ experientiâ oſtendit *Diemerbrock, tract. de Peſte.* Notandum verò eſt, ut ad ſimplicem fumationem Tabacum eligatur non nimis exſiccatum, inſtar papyri, & adulteratum, ſed ſubhumidum, purum & genuinum: optimum aliàs hoc tempore laudatur *Tabacum canaſter* dictum, vulgò der Knaſter-Taback/ & Zapffenbergenſe, à ſuo fabricatore ſic appellatum. Interea hæc in genere, de herbæ Nicotianæ in tubo accenſæ, fumatione & uſu, compendioſè dicta ſufficiant; plura, qui deſiderat, vid. *Magn. & Neand. Tabacolog.*

§. III.

§. III. Supereſt denique, ut pariter de moderno, & per totam ferè Europam uſitatiſſimo, pulveris Tabaci per nares attracti uſu, aliquid dicatur. Illius itaque pulveris, (quatenus adhibetur per nares) uſui, anſam dedit plurimùm neceſſitas & occaſio: cùm enim experimento didiciſſent nautæ & milites, quibus ab initio frequentior fuit tabaci uſus, eum pulverem ſibi eſſe ptarmicon, illâque internarum naſi membranarum irritatione, exonerari caput; uſu verò comodo, in nimiam conſuetudinem, ùt ſæpius fit, degenerante, pleriſque inutilis & ſuperfluus, imò planè noxius evaſit, uti infra dicemus. Non ignoro, inter medicinæ tutamina ptarmica recenſeri, fruſtraque diſputat *Neander*, an ſternutamentum cerebro poſſit prodeſſe, cùm, quos natura molitur motus, ſui exonerandi cauſâ, illi ſint etiam à Medicina imitandi; conſtat enim, imitatricem naturæ medicinam, ùt ait *Hipp.* proximis facilioribusque vijs, ad corporis partes expurgandas, uti debere, quare cùm proximum cerebri emunctorium ſit naſus, eâ viâ commodè medicamenta derivantur. Sic nonnunquam non cerebrum modò, verùm etiam naſum ipſum, proceſſusque mamillares eſſe nimis humidos, unde nec odores ſubinde percipiunt, nec ipſi à putredine alijſque malis ſatis ſunt ſecuri; ut taceam, quin & moderatus ac opportunus ejus uſus, exſiccando ſuperfluos humores viſco-

ſitatesque reſolvendo, caput, ne morbis à pituita infeſtetur, præſervet, illudque in ſerenitate conſervet, pituitâ mucoque exactis, prudentiam ſiccitate inductâ acuat, odoratûs perfectioni ſæpius conferat, multùm quoque contra frequentiorem ſpuendi conſuetudinem, alijsque ejuſmodi incommodis avertendis valeat: Nihilominus tamen circa pulveris Tabaci uſum quædam obſervari oportent. *Primò* quidem ratione electionis, ut potiùs noſtrate, quàm Indico aut alio exotico, varijs rebus adulterato & corrupto, utamur. *Secundò* ratione præparationis, ut pulvis ſit minutiſſimè contritus, & ſi opus ſit, pluribus rebus, ſecundum Medici judicium, ac circumſtantias alteratus. *Tertiò* ratione quantitatis, frequentiæ & temporis nimirum, ut mundo corpore, jejunus homo, non improſperâ utens valetudine, exonerando caput, pulveris unum aut alterum granum per utramque narem aſſumat: dandum quidem eſt aliquid conſuetudini, unde & ijs, qui taliter aſſueverunt huic pulveri, ac frequentius eo in die utuntur, melius eſſet, ſi ſe continerent intra moderatiores limites, & ter tantùm de die, manè jejuni, iterum jejuni ante cibum, & ante cœnam ſumerent. *Quartò* reſpectu perſonarum ſeu temperamentorum, ſic, qui ſunt phlegmatici ita dicti, & ſeroſitatibus ac viſcoſitatibus abundant, aut catarrhalibus affectibus valde obnoxij, pul-

vere Tabaci, moderatè tamen uti poſſunt; ſed cavendum eſt, ſi cerebrum ſe per nares ſua ſpontè exoneret, ne in ſuis motibus turbetur natura. Sic pariter etiam cerebro incaleſcente, ob inflamationis periculum, ab eo abſtinendum, neque adhibendum in oculorum morbis calidis, ne major conciteur fluxio, directis ad partem affectam humoribus, neque ubi nares hæmorrhagiâ tentantur, quoniam eam magis irritat. Quas regulas, ſi quis obſervare ſtudebit, utilem experietur pulverem, ſi verò negligat incommoda ſentiet; ſed ut non omnibus utilitas eadem, ita neque eadem incommoda, ſed ſingulis ſua, unum vel plura: optima etiam ſic ſunt comparata, ut in eorum uſu moderato, bonitatis maxima pars ſita ſit. In aurea enim mediocritate, ſtat rerum omnium prætium; præſtat igitur in medicamentorum uſu moderato ſubſiſtere, quàm limites transgredi, cum periculoſa ſanitatis labefactatione.

SECTIO III.

Abuſum Tabaci, & inde emergentia ſanitatis incommoda, ac damna demonſtrat.

§. I.

QUod præſtantiſſima remedia aliquando evadant noxia, vel exceſſivè, atque inconſultò adhibita, vel temperamentis eorum, qui ijs utuntur, minimè convenientia, quoti-

tidianâ conſtat autopſiâ. Res eodem modo ſe habet cum Tabaco, quod ſanè præſtantiſſimarum eſt virium herba: at quàm exiguè ejus uſum, prôh dolor! plerique nunc temporis Europæi moderare ſciunt, ſciunt autem, quia volunt, ſed propriam pretioſæ ſimul inveniunt ſanitatis ruinam, volenti tamen non fit injuria. Etenim herba Nicotiana à nonnullis tantâ frequentiâ, tanto deſiderio & furore paſſim aſſumitur, quaſi unicum ín rerum natura eſſet remedium, quod corporis humani proſperitatem conſervare valeret, cum illud tanquam prætioſisſimam extollant panacæam, ac quaſi pro univerſali habeant medicina, quæ ſecundum ipſorum phantaſmata, ſemper & ubique inveniret locum. Sic æſtate, fumationem Tabaci uſurpant ratione caloris, hyeme verò ratione frigoris; mox ſomnum avertere, brevi iterum illum conciliare, nunc ſitim, nunc famem ſedare, mox appetitum promovere debet, & neſcio, ad quid phantaſtica illorum imaginatio, eos ulterius ſit adhuc perſuaſura. Hæccine verò mala, & verè non laudabilis conſuetudo eſt, quæ complures Europæos cæpit: ut taceam, *S. M. Magnæ Britann. Regem Jacob.* teſtari, *apud ipſos Americanos, tanquam hujus herbæ Autores, vix emptorem reperiri ſervum, qui ſe tabaco mancipavit:* & tamen hi tabacophili Europæi non reſipiſcunt. Non eſt igitur quod miremur, homines con-

tem-

temptis periculis, impenſisque per mare, per terras, in remotas curſitare regiones, qui rara atque nova, (quæ in ſe non ſunt ſpernenda, dummodo ritè & non exceſſivè adhiberentur) ex India utraque, & remotiſſimis terræ plagis quotidie nobis adferant; & quis dubitabit, cùm quandoque accidat, ut â veteribus quidam deſcripti morbi, in Europa infeſtent ægros, ſed novis & inauditis comitati ſymptomatibus, imò vel novi in Europa emergant morbi, quin, quæ Aſia, Africa, America in Europam mittunt, ſive Medicamenta, ſive fructus edules, aut novas delicias; omnia hæc ſeminaria ſunt, aut fundus noſtræ calamitatis. Propterea tamen nullatenus ipſi Tabaci uſui quidquam derogare intendo:

Ne fortaſſe putes, me quæ facere ipſe recuſo
Et rectè tractant alij, taxare malignè.

Imò ſalubre eſſe medicamentum Tabacum, non diffiteor, methodo tamen medendi non neglectâ uſurpatum; periculoſum enim dundaxat præſenti ſectione oppugno abuſum, ipſisque Architabacophilis, damna exinde emergentia, quæ ſibimet ipſis accerſunt, repræſentabo ſequentibus.

§. II. Orientalis Imperij Tyrannus, *Amurathes* IV. edicto, gentis more, ferè ſemper capitali, cavit, ne quiſquam fumo Tabaci uteretur, veritus, ne ob illius abuſum ſteriles nanciſceretur ſubditos. *Jacobus* VI. *Magnæ*

guæ Britanniæ Rex, in aliam devenit ſuſpitionem, fumo ſcilicet enervari ſubditorum ſuorum corpora; hinc manifeſto illud odio proſecutus, dicitur, libellumque etiam ſcripſiſſe, cui Myſocapnon ſive *odium fumi*, titulum dedit. Illos, complures alij Europæ Principes, hoc prohibendo ſubſecuti ſunt: ſic contigit ſemel, Principem quendam ſub magna Pœna, certo in caſu prohibuiſſe pulveris Tabaci exhibitionem, contra quod mandatum, quidam ſequentem in civitate illa diſpergebat paſquillum, & quidem ex *Job* mutuatum: *Potentiſſime Princeps, contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.*

Celeberrimus *Hoffmannus lib. 2. de Med. offic. Cap.* CXl. p. 327. teſtatur, publicé in Oxonienſi Academia diſputaſſe contra hunc abuſum, oſtenſis exemplis eorum, qui laborâſſent quidem diu inſanabilibus pectoris morbis, delirijs, inſomnijs, convulſionibus, &c. poſt mortem autem inventum fuit, eos pulmones habuiſſe totos nigros, ac retorridos, non ſecus ac ſi fumo indurati eſſent. Idem *Hoffmannus* audivit â militibus in Belgio verſatis, vidiſſe ſe diſſecta capita eorum, quibus *patera cerebri*, ab Anatomicis ſic dicta, tota interius eſſet nigra, licet per carnificem interijſſent. Audivit etiam â patricio Norico, qui in bello Bohemico viderat omnes, in conflictu ab hoſtibns interemptos,

ptos, Anglos nigricans habuiſſe cerebrum. Hinc diſcant ſapere (*Hoffmannus* inquit) qui ſapere aliàs nolunt. Quin & *Nardus Anton. Rechius lib. v. rerum Medic. Novæ Hiſpan* p. 174. obſervavit, quod ij, qui auxilio Tabaci frequentiùs, quàm deceat, uti aſſueſcant, reddantur decolores, linguam geſtent ſquallidam, & palpitans guttur, Epatis ardore afficiantur, ac in cachexiam atque Hydropem lapſi, morte tandem obeant. Revera ergò omnes ſimilem abuſum inſtituentes, egregium peſſimæ ſuæ conſuetudinis, præmium auferunt. Sed hoc ipſo etiam patet, quod nimio hujus fumi abuſu, cerebrum contabeſcat, & areſcat, indeque functionibus animalibus, præſertim memoriæ valde obſit, unde, qui nimium hoc fumo utuntur, ob ſuum ſulphur narcoticum tandem fatui redduntur: fit hoc, ùt ſupra monitum, propter ſucceſſivam lymphæ, & hinc nutrimenti cerebri roridi exhauſtionem, cùm poſt evacuatas lymphas ſeroſas, ipſum nutrimentum partium roridum colliquefacere, & ita ſub forma ſeri evacuari faciat Nicotiana.

Ejus ergò abuſus non tantùm cerebrum & caput infeſtat, verùm etiam, ùt dictum pulmones afficit, quos torridos facit, maculiſque varijs, imprimis lividis & nigricantibus defœdat, confer. *Barthol.* tract. de pulm. p. 9. cent. 3. Epiſt. p. 371. *Schneider.* de catarrhis l. 2, p. 265. *Horſt.* in Manud, ad Med. p,

371.

371. *Tulp.* l. 1, C. 6. *Lindan.* in Med. phthys. C. 61. qui omnes varias habent experientias vitiorum pulmonum, ex ſuffitu Tabaci attracto: Unde non mirum, ſi tales ad phthyſin, contabeſcentiam, atrophiam, & anhelitûs difficultatem inclinant.

Stomacho verò nocet, ſi ſtatim â paſtu hauriatur, fermentum ejus obtundendo, & concoctionem turbando, hinc cruditates valde augentur, unde nil nocentiùs, quam ſi poſt paſtum Tabacum hauriatur: cavendum igitur, ne â paſtu aſſumatur, & 2dò. ne nimius ſit ejus uſus, veluti quidam, referente *Thonero*, *obſerv.* 3. *lib.* 2. *p.* 103. conſtituto ſibi pretio 200. imperialium, intra breve temporis ſpatium 300. fiſtulas ordinarias exhauſit. Aliàs mille malis aperitur via, inter alia notabile eſt, quod recenſet *Grembs*, *in arbore integra & ruinoſa*: quendam ex nimio Tabaci uſu, in Apoplexiam incidiſſe; cum quo conferatur *Kerkringius*, *Barbette* cum notis *Deckeri*, & alij.

§. III. Multi quidem tecto Tabaci pulveriſati uſu, non mox ſub initium, ſed inductâ vitioſa conſuetudine, contractoque ex poſt habitu, tantam hujus pulveris quantitatem aſſumunt, ut etiam quidam, referente *Chryſ. Magneno*. *in ſuis Exercit. de Tabac.* unicâ die pulveris Tabaci optimi unc. iij. ſeu lotones ſex, naſo ſuo perdiderit. Imò plurimis nunc temporis iſta prava conſuetudo, fecit

ean-

eandem ferè cum aëre neceſſitatem; alij verò ſolâ imitatione, quæ authoritate trahitur, ad eam rapiuntur labem. (nullum enim potentius vinculum hominem ligat, quam Exemplum & Authoritas.) Sic etiam nonnullis, cùm ad eos accedant, quibus arridet, ſeque poſſunt in exigua re oſtendere liberales, occaſio utendi fuit. Aſt audiamus celeberrimum *Pechlin. lib. 2. obs.* XI. de Tabaci pulveriſati abuſu argutè diſcurrentem, dum inquit: Quæ illa intemperies, ſic perpetuò " nares pulvere illo vexare, ut inter ſalutatio- " num officia, atque impotentium cœnas, de- " eſſe aliquid ad humanitatem videatur, niſi " vel turpi viro ſtillaverint, aut futilis miſturæ " inſpiratio, horridiſſima ſternutantis voce " prodatur? quemadmodum verò nihil ſalu- " bre eſt, quod conſuetudine in naturam tran- " ſit, ita nihil juvat, frequentatum omnibus " horis ſternutandi deſiderium, quin neceſſa- " riam illam ad ſenſorij tonum cuſtodien- " dum, humanitatem penitùs expellit, ju- " ſtamque proportionem infringit, adeòque " non Hiſpanis tantùm Italiſque, ſed & Germa- " nis iraſcendum eſſe puto, qui ridicula æmu- " latione, ùt ſemper in iſta nimia ſunt, quic- " quid ad partium tutelam requiritur, humi- " dum exſiccant, non ſine capitis manifeſto " damno. Matutinus certè, ad purgandum " cerebrum impetumque ſpirituum provo- " candum, nihil iſto remedio utilius, de die "

„ au-

,, autem, niſi obtuſum eſt cerebrum & hu-
,, more inundatum, ſupervacua illa cura,
,, nam lucis mobilitate, corporiſque agita-
,, tione, quod reliquum eſt humidi, facilè
,, excutitur, ne quis temerè pro futuro aliàs
,, remedij uſum profanare ſuſtineat.

Volunt quidem nonnulli, jugi uſu pulveriſati aut ſternutatorii Tabaci viſum acui, ſed quanto cum periculo hæc medela ſit, ſæpe laudatus *Jo. Chryſ. Magn. Exercit. 8. de tabac.* teſtatur, ſe vidiſſe nonneminem, cui inſanus hujus pulveris uſus cryſtallinum corrugavit humorem, unde & fluitantia cernebat objecta. *Quin & idem eodem loco refert*, ſternutamento violentiùs agitato capite, diſruptiſque eo impetu menyngibus, laxatàque cerebri compaginatione, nonnullos interijſſe: quam ſuam ſententiam ibidem exemplo, piſtoris Saburrani *Famianus ſtrada* meminit, confirmat, cui cùm 24. ſternutaſſet, continuè ſuccedens proximè ſternutamentum vigeſimum quintum exitio fuit, diſruptis nempe arteriis, & membranis cerebrum circumcingentibus. Pariter quoque ex ipſo Tabaci pulveris exceſſu, odoratûs ablatio, membranarumque & nervi odoratorij exſiccatio, atque obduratio, proceſſuum mamillarium, tabes oritur: quoniam meatibus aut foraminulis oſſis ethmoidis, à pulvere Tabaci obduratis, fieri nequit, quin neceſſariò olfactus intereat, cùm membranæ ſpiritusque in nervis undulantes, objecta odorabilia recipere non poſſint. De hujus verò abuſus incommodis, vid. *Petr. Borell.* cent. 3. hiſt. 45. & *Schneider.* de oſſe cribriſor. p. 400. *Fabrit. Hildan.* cent. 1. obſerv. 8. cent. 5. obſerv 1. & complures alij AA. Cæteroquin quilibet prudenti ſuo ſe regat judicio, oblectet ſe, ſi lubet, quotidie Tabaco, non ceſſo tamen exorare illum, ut ſemper meminerit illius: *latet anguis ſub herba.* Quæ omnia de medicinali Tabaci, ſive uſu ſive abuſu intellecta volo.

FINIS.